IO. THOMAE BIANZALLI

SAVILIANENSIS, CIVIS SALVCIARVM, SERENISS. SAB. DVCIS, ET OPPVLENTISS. CIVIT. FOSSANI MEDICI, AC PHILOSOPHI EXCELLENTISSIMI.

QVAESTIONES DVAE:

Prima, An Ante decimum quartum annum liceat Pueris Venam tundere, & quòd cucurbitulæ ſpatularum regioni collo proximæ pro ſanguine è naribus fluẽte auertendo appoſitæ, non conueniant.

Secunda, An vbi phlebotomia neceſſaria eſt, ea omiſſa, liceat purgans medicamentum ſubſtituere; Et vtrum magis vires debilitet, an Phlebotomia, an medicamentum purgatorium.

Ad

Prudentiſſimos Foſſanenſis Reipublicæ PP. ac Conſiliarios Patronos Munificentiſsimos.

IN MONTEREGALI.
Apud Henricum Rubeum, Superiorum permiſſu. 1604.


FIDELITATIS · IN SIGNIA

PRVDENTISS. REIPVB. CIVITATIS
Fossani Patribus, Consiliarijs, Ciuibusq; Nobiliss.

IO. THOMAS DIANZALLVS
Eiusdem Reipub. Medicus Fidiss. S.

CVM Aestate proximè præterita PP. opt. Ciuesq; Nobiliss. Sæuiente variolarum malignis. constitutione in pueros lactantes præcipuè grassante, è quibus paucissimi euaserunt, quos earum malitia turpiter conspurcauit, in puerum nouennem decennemue (ni fallor) curandum inciderim ex lassitudine synocho correptum, hepatis tumore, totius corporis grauitate, alijsq; symptomatibus grauiter conflictatum. Ad hunc vocatus, statim secunda à decubitu die è basilica dextra sanguinem detrahere præcepimus lenita prius de more aluo, sequēti die Sir. è Cicorea Gulielmi excrementis primæ regionis depositis, non prætermissis deinde ardorem mulcentibus, obstructiones leuiter reserantibus, feruidos humores æquantibus, totoq; germine deleteriam qualitatem cohibentibus, cùm assumptis, tùm admotis, adhibita

† a victus

victus ratione in idem conspirante, à quibus tertia die melius habere visus fuit: cuius sub finem sanguinem è dextra nare deponere cœpit (malo quidem omine) tanta colluuie, vt nullis internis, externisue remedijs cohiberi potuerit, donec vitam cum sanguine fudit. Cum autem fluente sanguine à viribus sumpta indicatione, de eius salute omnino desperatum iri nunciassem, ægro inter dubiam spem, & certum metum relicto, ad quendam qui Medicũ profitetur confugerunt, qui (me non conuocato) pro cruore à naribus auertendo, cucurbitulas spatulis (regioni supremæ collo proximæ) admouendas iussit, sanguiniś; missionem damnans, purgatorium medicamentum ex vsu potius fuisse determinauit, parentibusq; persuasit. Quòd in ore omnium nil magis agitetur, quàm Pueros ante decimum quartum annum phlebotomari non debere, & licet nec fulgura Iouem. Ego tamen qui exactè noui ex legitima Hippocraticæ, Galenicæq; mẽtis explicatione maximam ægris vtilitatem emanare, & ex erronea, innumera nocumẽta, ipsumq; interitum prodire: ne hæc tam temeraria vulgi opinio in Medicinę studiosorum animis deinceps disseminetur, ac serpat, meas esse partes

existi-

existimaui,in hanc meā segetem falcem immittere, & futuris erratis quoadeius fieri poterit prouidere:statimq; calamo arreptō Syrijs caloribus non parcens, Has duas quæstiones ex decade quam edere proposueram discutiendas suscepi,in quarum prima disceptabo.

An Pueris antè decimum quartum annum sanguinem haurire liceat, & quòd cucurbitulæ eo loci admòtæ reuulsionis gratiā non conueniāt demonstrabo. In secunda verò declarare conabor.

An vbi phlebòtomia necessaria est, eius vicem medicamen purgans gerere possit:atq; insuper vtrum venæ sectio, an purgans medicamentū magis vires debilitet.

Quas quidem quæstiones, cum in lucem prodire desiderem,non ostentationis gratia,sed vt cōceptæ iamdudum de me ab vniuersis ciuibus opinioni faciā satis, meq; ita in artis operibus versatum esse demonstrem,vt tutò prosperam conseruandam, & aduersam curandam valetudinem mihi in posterum committere non dubitent. Sed veritus ne venenatis inuidorum aculeis sine Mecęnate dilanientur:Diu mecum multumq; consideranti cui hos meos labores inscriberem, hæc vestra Ciuitas, PP. primum

occurrit

occurrit, cuius splendori, ac magnificentiæ præ cœteris me debere iudicaui, cùm quòd multis præclariss. alijs viris huic muneri obeundo aptissimis me prætulistis, tùm maximè, quòd tam liberali quadringentorum aureorum Guciatorum annuo stipendio isthuc vocatus fuerim, vbi nouennio iam peracto tam singulari amore non solum ab optimatibus, sed ab vniuersis ciuibus fui exceptus, & amplexus, vt vno omnium ore triennio etiam futuro sim confirmatus.

Huius patriæ amoris quo vos, vestriq; Ciues erga me vsi venerationis, tùm reliquarum virtutum præstantiæ haud immemor, hos meos labores omnem rem meam, famam, & quicquid sum, cui vsquã Patrocinio æquius, ac securius submittere non potui, quam vestræ Reipublicæ multis nominibus decorandæ. Primò ob magistratum Iuris Doctoribus permultis illustratum, quorum prudentia, ac singulari dexteritate Ciuium lites componuntur; Exterorum verò controuersiæ vno, aut altero iudicio deciduntur. Innatus etiam vester in literas amor ac propensio, quibus liberos non solum domi instituendos curatis sed in Galliam, & Italiam transmittitis, nullis parcentes sumptibus, donec in-

nec instituta studia compleuerint, & domum, reuersos reipublicæ administrationi adhibetis, ex quibus alijs Senatores, alij Præsides, euadunt, alij ad Episcopatum, aliasque Ecclesiasticas dignitates promouentur, non nulli ad Regum Principumque tutandam valetudinẽ præfecti, Archiatrorum gradum promeruerũt. Permulti quoque ad eminentissimas in Principum Aula euecti sunt dignitates. Nec contenti quòd hoc tam celebre vestrę Ciuitatis Collegium Innumeris Theologorum, Philosophorum, & vtriusq; facultatis Doctoribus sit exornatum, aliunde etiam præstantiss. in omni disciplina viros honestis salarijs conducere soletis, nę vlla ex parte vestra Respub. vel prudentum consilijs, vel Medicorum fidissimis suffragijs, aut Grammatices institutorum doctrina destituatur: quibus tribus Ciuitas benè instituta plurimum ornatur, ac iuuatur. De Antiquis autem huius vrbis familijs patricijs (quas multas habet opibus, & virtute à maioribus per manus traditis præclaras) nil commemoro, ne adulari videar. De Humanitate erga exteras nationes, nil refero, cum ex omnibus Christiani orbis nationibus peregrini à vestro xenodochio benignissimè excepti, vos cunctis gentibus no-

bus notissimos reddant. Bellicam etiam vestrá fortitudinem lubenter tacebo, quam præter id quòd multi intrepidissimi cùm Hyerosolimitanæ, tùm Thebœæ familię ęquites strenuissimiq; Duces, & multorum Oppidorum pro Sereniss. ac Inuictiss. nostro Sabau. Duce moderatores fidem faciunt; Insigne etiam specimen non ita dudum dedistis, dum grauissimam acerrimorum hostium obsidionem tam animosè propulsastis, vt re infecta illis iuremerito cedendũ fuerit (in cuius fidelitatis inditiũ ipsemet princeps sui ipsius insignia vobis fuit elargitus) quamuis Vrbs vestra tũc tẽporis nec aggeribus, nec fossis munita foret. Religionem verò, & erga Deum pietatem, atq; erga pauperes propẽsum affectum satis præclarè notant, cùm sacrarum Aedium ampliss. ædificia, quæ bellorum iniurijs dirruta, ac penè collapsa, statim nunciata populis pace, mira solertia, ac promptitudine publicis expensis in multo perfectiorẽ statum reduxistis: Pietatisq; Montem tam munitum erexistis, vt postposita hebraica rabida extorsione, pauperum necessitatibus succurri facilè possit. Quæ omnia cum à me pro dignitate predicari nequeant, satius duxi, rudi hac delineatione rem notare, quam operosa pictu-

ra can-

ra endem malè exprimere. Cum igitur PP. prudentiss. tot beneficijs, perpetuis patrocinijs, singulariq; commendatione nomen meum in dies illustraueritis, & ita me deuinctum habeatis, vt nunquam (& si mihi longissima suppeteret vita) soluendo esse possim: pro tantis in me à vobis collatis meritis, munusculum hoc meum erga vos fidei certissimum argumentũ, læto animo accipite: Quod si parem vicem rependere, neq; certat, neq; potest: Cupit tamen exprimere quantum vniuersæ debeam Ciuitati, & quam soluendo tributo impar sim, & obligatus. Vos verò PP. ciuesque benigniss. (quæ vestra est humanitas) opusculum hoc cum autore veluti scuto Macedonico ab inuidorum morsibus ac latratibus intactum protegite, seruate, ac perpetuò fouete. Fossani VI. Idus Nouembris. 1603.

ra eandem [illegible] exprimere. Cum igitur PP. pra-
[illegible] beneficijs, perpetuis patrocinijs, si-
gulariq; communicatione nomen meum in
dies illustraueritis, & itame deuinctum habe-
tis, vt nunquam (& si mihi longissima suppe-
teret vita) soluendo esse possim: pro tantis in
me à vobis collatis meritis, munusculum hoc
meum erga vos fidei certissimum argumentū,
læto animo accipite: Quod si parem vicem re-
pendere, neque certe, neque possit: Cupit ta-
men explicare quantum vobis debeam Ci-
uitati, & quam soluendo non imparem sim, &
obligatus. Vos verò PP. clarissimi & benignis-
(quæ vestra est humanitas) opusculum hoc
cum autore veluti tuto Mæcenate ab inui-
dorum morsibus ac latratibus intactum prote-
gite, seruate, ac perpetuò fouete. [illegible] VI.
Idus Nouembris. 1603.

PERILLVSTRI, AC REVERENDISS.

D. D. Iuuenali Ancinæ Ciui Foßanensi
Saluciarum Episcopo:

Io. Thomas Bianzallus. S. P. P.

EA est, Antistes Reuerendissime, multorum huius seculi temeritas, deprauataq; viuendi norma, ac maledicendi, mordendiq; promptitudo, tantusq; liuor, vt quicũq; de re quapiã tractaturus, in ea publicè proponẽda maximè hæsitet, & merito, ne in eorum manus incidat, qui corã applaudunt, clã autem rodunt, ac vituperãt. Quæ res tantum apud clariss. maximæq; autoritatis Viros aliquãdo potuit, vt alij exilium potius elegerint, quam in suggestum ascendere, alij nil penitus de his, quæ in omni disciplina senserunt, scriptis mandauerint, satius multò existimantes in coruos quam in adulatores seu obtrectatores (vt in prouerbio est) incidere, quorum morsum omnium cæterarũ ferarum venenositatẽ superare iudicarũt. Neq; mirum: Cum, & clarissimus ille Zeuxis tanto labore, totq; vigilijs constructam Palladis statuam, licet omnibus numeris absolutam, tanta

timiditate populo proposuit, omnium senten-
tiam auditurus. Quod idem profectò in causa fuit, vt & ipse multa, quæ alias quandoq; per ocium antelucanis horis obseruaui, omnino prætermiserim, ne in eundem scopulum inciderem, præsertim cum sexagenario, & iam quadraginta annis eo nimius publico muneri addicto, priuatisq; negocijs molæstato parum admodum supersit ocij ad seria tractanda, ea præsertim quę publicum iudiciũ subire debent. Nisi tu præsul Reuerendiss. facundiss. tuis cohortationibus, & amicissimis me veluti lethargo oppressum (vbi Roma Fossanum appulisti) excitasses: quæ quidem apud me tantum valuerunt, quantum apud Themistoclem illũ Atheniensem magni Milciadis trophęa, quantumq; apud Romanos Antiquorum statuę, quo factũ est, vt statim sententiam mutauerim, atq; multa iam à me postposita iterum pertractanda susceperim 9 extremam illis manum impositurus, & præcipuè opusculum de Variolarum natura, causis, signis, ac curatione lingua materna conscriptum, quod anno 1587. vigentibus Variolis in hoc amœnissimo salutis fano (quo tempore isthic publici Medici munus exercẽs in ciuiũ ordinẽ publico calculo fui adscriptus)

multo labore aggressus eram. Dum autem ad hanc suscipiendam prouinciam memet accingerem, legitimis de causis aliò animum conuertere me opportuit, duasque præscriptas quæstiones (ex decade, quam conscribere decreui) prius examinare proposui (sic vrgente occasione) quas Fossanensi Reipublicæ patriæ tuæ gratissimæ, & de me optimè meritæ consecrare decreui. Quod tamen te inconsulto efficere nolui. Cum enim præter id quod me dormientē excitaueris, M. Reu. etiam Saluciarum Præpositus morum probitate, doctrina, eloquentia, & bonis artibus imbutus, tuæ erga me benignitatis, & amoris argumentum cumulatissimè demonstrauerit, facere non potui, quin votum tuum fauoremque exquirerem, quo hæc mea scripta optimè munita tuisque auspicijs, commendata à munificentissimis Ciuibus gratius excipiantur. Vale Antistes Reuerendissime, & Bianzallum tibi, patriæque tuæ deditissimū perpetuò ama, ac foue. Fossani Calendis Decembris. 1603.

D. IO. THOMÆ BIANZALLO MEDICO,

Illustri Iuuenalis Ancina Episcopus Saluciarum, S. D.

ELVCVBRATA responsione egeret Epistola tua, quam vt arbitror, omnibus postpositus negocijs conscripsisti: quæ quantum salis in se habeat ægrè exprimi posset: sed tot ego distrahor curis, vt nequeam eo latinitatis candore, & argumentorum robore rescribere. Nihilominus tam grato, ac beneuolo animo tuo non potui quoad liceret non satisfacere cum maximam in ipsa Epistola tua ingenij tui præstantiam, & in me fidem conspexerim. Quod scribis laudabilia tua opera cupere castiganda ad me transmittere subinde in lucem prodituræ id me præstare non concedunt causæ permultæ quas enarrare non decreui, certo sciens te propensè cogitaturum, quo fungar officio: senium etiam, & obmissæ Physices iam annis triginta, & eo circiter obliuio, id facere non sinerent: & tametsi is ego non sim, qui velim lucubrationes tuas nullo dignas magistro corrigere, illas tamen lubentissimè perlegi: quare non est quod castigatores

quæras

quæras, ipsa se se opera tua edita satis ab inurdorum morsibus illæsa præseruabunt, & qui alios arguunt, sepe fit, vt ipsi nulla virtutis præstantia præditi, incidant in foueas quas fecerunt, vt necesse ijs, sit quas semel riserunt, rebus vti: Nihilominus in his vtere maturiore tuo iudicio. Laudo quod Patriam nostram tanto munere donare decreueris, & id non sine honore, aut condigno aliquo præmio tuo futurum esse prospicio: De his iam satis tempus non dat plura scribendi. Vale, senectam tuam diligenter serua. Dat. Salucij pridie Idus Ianuarij 1604.

ILLV-

ILLVST. D. D. BARPTOLOMÆO SALVIO Sereniss. Sab. Ducis Consiliario, Medico Excellentiss. Medicinam Practicam supraordinariam, In florentiss. Taurinensi Accademia Publicè profitenti.

Io. Thomas Bianzallus eiusdem Sereniss. Ducis & Ciuitatis Fossani Medicus. S. P.

ACCADEMICORVM ille Maximus Princeps, quem diuini nominis vniuersa, non solum naturalium, sed & diuinorum Philosophorum schola dignum censuit, non ab re hominem sapientiæ amatorem ita bonas artes, ac disciplinas sectari iubebat, vt siue iuuenis, siue senio confectus, in omni tamen vita semper aliquid addiscere valeret: Solonis (credo) illius Græcorum sapientiss. memor sententiæ, sic habentis. Senesco, semper plura addiscens. Vox quidem viro sapientissimo propria, & aureis notis hominum pectoribus imprimenda. Si enim totius humanæ vitæ curiculum exactè percurremus (quod quidem instar puncti, imò nihil æternæ vitæ comparatione reputandum est) quid homine magis dignum, aut ab eodem

dem magis est expetendũ, quã vt id per omnẽ vitam appetat,& adipiscatur,ad quod naturę veluti instinctum quodã stimulari,impelliq; videtur? Siquidẽ, si omnes ad scientiæ cognitionisque cupiditatẽ,necnon ad rerũ abditarũ intelligentiã naturæ ductu trahimur,& ad sciendũ,intelligendumq; veluti cogimur , teste peripatetico , cur omnes cũ corporis,tùm animi (quod aiunt) neruos non intendimus,vt impetu quodã ad id inuestigandũ,& consequẽdũ irruamus, quo acquisito,& vita ornatior fit, mens verò quasi suo nutrita Pabulo alacrior fieri manifestè conspicitur?& ijs studijs non vacamus, quibus vbi destituimur in errorem statim nos elabi persentimus?Insuper,qua rõne id turpe , tantumq; malũ nõ euitamus , quod animus valde abhorret,atq; vbi à sua natura degenerat, turpiter sordescit?vbi verò in suo vigore naturaliq; dignitate persistit,perpetuò scire,intelligere,& veritatẽ indagando inquirere auet? Verũ cum immensa ac propemodum infinita sit earũ rerũ series,quæ nos fugiũt, Artiũ autem ac scientiarũ omnium, vt longissima, ita difficillima sit perceptio, impossibile , aut certè maximè difficile in omni Philosophia fuerit multa ei innotescere, cui perpetua rerũ meditatio intenta non sit, animoq; penitus infixa, quiq; hanc intelligendi cognoscẽdiq; curam plu-

rimũ cœteris rebus omnibus nõ anteponat. Si igitur nullũ aut optabilius, aut præstantius humano generi à Deo datũ est donũ, nec quicquã vberius à nobis hoc indagandæ veritatis studio desiderari poterat, quid erit quod æquo animo quis liberaliter institutus minus ferre queat, quã principẽ animi nostri partẽ ocio, ac ignauia torpentẽ cernere, ac se dignum, nihilq; altum, aut fructuosum contẽplari? imò eo plura adipisci gaudet, & concupiscit quo plura mentis acumine contẽplando est adeptus? Quãdoquidẽ mens operando pascitur, ocio verò ac ignauia rubiginẽ contrahit, languet, prorsumq; frangitur. Quod quidẽ cũ mecum ipse mente obuoluerem Aestate præterita id parum tẽporis, qđ ab ægrorũ curatione supererat ne dies sine linea præteriret, in duarũ prædictarum quæstionũ examinatione dispensaui, vt in lucẽ ederentur. Verum licet suum vnicuiq; pulchrũ videri soleat, nolui tñ ita mihi applaudere, meoq; genio ita assentiri, quin aliorum iudicium expeterẽ. Atq; inter cæteros nostræ ætatis maximæ autoritatis Philosophos, ac Medicos, Tu vnus occurristi (Vir Excellentissime) qui præter singularẽ scientiarum omnium intelligentiã, & natiuum animi candorem (quibus te cæteris eminere omnes norunt) me etiã tua humanitate ac beneuolentia, perpetuò quodã

amore

tamor inextimabili prosequutus fuisti: Ad te tanquá ad Aristarchum confugere non sum veritus, quò pro tua erga omnes affabilitate, qua sicut te cunctis notissimú præbes, ita & inde quoq; te admirátur,& colunt, hæc mea scripta peruerrere velis, quę si Galeni, Hippocratis, cęterorúque Medicorú canonicè praxim exercentium sententię cōsona, lucéque promereri iudicaueris, tua doctissima subscriptione, & approbatione eadē munire non dedigneris, sin minus castigatione indigere cognoueris, id lubenter vt efficias obsecro, & obtestor, Præter enim id quòd me deditissimum semper habebis, Vniuersę etiam medicæ familiæ pluri mum prodesse poteris. Vale Medicorú Coriphæe fortisq; tutella, mihiq; fauere haud de digneris, Fossani Nonis Pridie Cal. Februar: j. 1604.

Clarissimo Viro Medicoque Illustri D. Thomæ Bianzallio Bartolomeus Saluius Scalengius, F.P.

QVAESTIONES Medicas tuas agitatas, & cōtrouersias inter Medicinę procęres singulari eruditione, multiplicique ac varia doctrina refertas, súma auiditate, nec minore voluptate perlegi, nec aliud expectandum erat à viro, qui primú quidē apud insubres magna cú nominis celebritate in Medicina facienda insuda

††† 2 uit at-

uit, atque se se exercuit tandemque in eadē perficienda maxima cū laude in subalpina nostra regione consenuit. Digna igitur sunt, quæ in lucem prodeant, vt ex ijsdem Philosophiæ, Medicinęque studiosi vberrimos, suauissimosque fructus excerpere possint, Interea bene vale, atq; saluium tuū vti soles, ama. Taurini XIII. Cal. Aprilis. 1604.

Ad Clariss. Philos. & Med. Thomam Bianzallum.

QVIS Doctissimis quæstionibus (Bianzalle amicissime) diligētissime veluti ad trutinā perpensis, cū maiore doctrina, methodoue faciliore à quouis examinari non potuerint, sed omnia ita sapientiss. Medicorū opinioni quadrare perceperim, vt nullo penitus egeant correctore: At luce maximè digna diiudicē: Quò quā tocyus has tuas lucubrationes non in tyronū modò maximā vtilitatē, sed & multorū quoq; prouectorū gratiā typis mandare acceleres, quando votum meū in hoc desideras; Hoc tibi significatum volo: Me manibus, totisque (quod aiunt) pedibus in tuam descendere sententiam tuæque opinioni subscribere. Vale interim diu fœlix, & me, vt soles, vicissim ama. Buschæ X V. Cal. Maij, 1604.

Deditiss. Ioffreddus Gambarana.

Anto-

Antonius Gagninus Sauilianensis, & Iacobus Vitali Medici ac Ciues Montis Regalis.

Io. Thomæ Bianzallo Philosopho ac Medico Acutiss. & Doctiss. S. P.

Quæstiones tuæ ex Antiquorum, neotericorumq; arduis, obscurisq; monumẽtis (optima arrepta occasione) erutę, cum à nemine adhuc tã exquisitè, ac diligẽter sint discussæ aduersariorũq; opiniones, ac rationes confutatæ, & Galeni ac cæterorũ cùm Græcorum, tũ Arabum autoritates explicitæ, eorũq; cõtrouersiæ conciliatę, atq; omnia doctrina, & Methodo rectissima ita disposita, vt classicorũ omniũ Medicorũ placitis ęquissimis consona iudicemus: Tuæ huic doctissimę opinioni, à tot excellẽtiss. Medicinę proceribus iam meritò approbatæ, subscribere voluimus. Cumq; hęc tua ornatiss. & doctiss. scripta vberrimam humano generi vtilitatem esse allatura proculdubio euidentissimè coniiciamus, te mirum in modũ hortamur, vt cudenda citissimè acceleres, quò tandẽ amethodi resipiscant, & acquiescant, nec deinceps Pueris ante decimũ quartũ annum tã salutare, tam sanctum, omnibusq; cæteris magnis remedijs præferẽdũ auxiliũ, interdicere sibi persuadeãt. Vale nosq; mutuò ama. E MonteRegali 4. Cal. Maij 1604.

Multum

Multum R. D. Io. Barptolomæi Bottæ Sauilianē-
sis Vottignasci præpositi in D. Io. Thomã Biá-
zallũ Philos. ac Med. Celeberrimũ exasthic.

EXILIS, lector, paruiq; voluminis egit
Thomas, sed multe dexteritatis opus.
Et quòd perdoceat breuiter nõ pauca legẽtes,
Et quòd sit nullis vtilitate minus.
Aegyptæ Iulio tam multum cedit arenæ,
Quam lybia ad fruges tractus ineptus habet.

Eiusdem ad lectorem Exast.

EXiguum, lector, paruoque volumine verùm
Permagna Thomas arte peregit opus.
Vtilius quouis numeroso Codice Multos
Quouis distinctos Codice habente tomos.
Cum liquido Bruti Puero, cum lagone viuos
Sit luteus longe vilior vsque Gigas.

D. Dominici Salamoni Bennensis, Gymnasij, Ciuitatis Fossanensis Moderatoris publici, in commendationem Autoris Carmen.

PRisca manus Medicum, Medicas excuderat artes
Quales tunc ætas ipsa ferebat iners.
Corporis at vires, animi sic tempore mores
Mutati multum, multa tulere secus.
Dogmata de hinc victus ratio mutauit, & vsum

Artis

Artis, ad hinc varias se excoluere sophi.
Accessere noui morbi, varia pharmaca poscunt,
Quique nouos ritus, artificesq; nouos.
Insuper occultas herbarum proxima vires
Prodidit hæc ætas, quæ latuere senes,
Vsus at irreptis alijs excudit egestas
Et meditando, artes atq; probando nouas.
Sint exempla Vari, puerorum morbus, & ipsis
Annorum pueris venaq; secta trium.
Ista docet doctè Thomas, facilemq; per artem
Quod docet, exemplis, & ratione probans.
Ergo Blazallij natis præscripta Parentes
Discite consultum qui benè vultis; adest.
Eruta de placitis sunt hæc consulta sophorum
Atq; experta recens, vt mage tuta forent.

Melchioris Minoti Fossanensis bonorum literarũ studiosi, Ad Autorem Epigramma.

DVm teneros certas magnis seruare medellis
Curandi methodos insolitasq; doces.
Queis velut à stygia reuocas atraq; palude
Et molles pueros, decrepitosque senes.
Ipse tibi primos curandi cedit honores
Cynthius, atq; suo te cupit esse choro.
Sic Phœbæa cohors alto tibi plaudit Olympo:
Ingeminatq; albis laurea serta comis.

Ad lecto-

Ad lectorem Benigniss. Autoris Epigramma.

Pæonia celebres doctrina atq; arte magistri
Quò morbos pellant, ægraq; membra leuent,
Innumeros canones, ritusq; dedere medendi,
Queis tutò medica quisque fruatur ope.
Cuspide at an vena liceat haurire cruorem,
Bis septem ante annos, hoc reserabit opus.
Quo liceat potu Medico demittere suos
Peccantes pariter ritè docebit idem.
Hoc si ritè legas, Medicorum turba fauebit
Docta: tibi sedem phœbus, & ipse dabit.

Vincentij Gosij à Draconerio Philosophię,& Medicinæ candidati ad lectorem Hexasticon.

Hic liber exiguus, sed non exilia tractat,
Lector: at innumeros continet ille sales.
Vt valeas igitur strictos dissoluere Nexus,
Perlege: sunt merito hæc discutienda sopho.

Barptolomæi Bianzalij Sauilianensis, Ciuisq; Saluciarum Philosophiæ,& Med.studiosi,ad libellum tetrasticon.

PRodi parue liber: te expectat turba medentum,
Prodi, liuidulum nec vereare minas.
Corpore sis paruus liceat, abstrusa recludis,
Qualia vix vnquam Gordius explicuit.

QVÆ-

QVÆSTIO PRIMA.

PHILOSOPHIAM, sacramq; Medicinam priscis Hippocratis temporibus in incunabulis fuisse, præterquam quòd multi, alijq; doctiss. viri, ac veluti bonarum artium, scientiarumq; parentes existimarunt, experimento quoq; illud idem confirmari nemo est sanæ mentis, qui refragari audeat. Quod sanè in causa est, quòd multi veterum scriptorum monumentis solo verborum idiomate innixi (vt eorum lectione sunt indigni) in infinitos inciderint errores. Quo factum est, vt alij scriptorum intentione contempta, suæque opinioni applaudentes eiusdem lateris affecti venam in pleuritide non secare maximo ægrorum detrimento ausi fuerint, sed oppositi. Alij inuiolabili lege aphorismum 31. quintæ sectionis obseruantes, piaculumq; maximum arbitrantes grauidis venam tundere, innumerabilem prægnantium turbam cum miserrimis, ac insontibus fœtubus maximo artis, Artificumq; dedecore, ac ægrorum graui iactura procul dubio enecauerint. Quidam verò

nullo discrimine omnibus phlebotomiam, & medicamentum purgans admittere vereantur.

Nonnulli adeò timidi, vt nec senibus post sexagesimum, nec pueris ante quartum decimum ætatis annum venæ sectionem permittant, horrendum tamquam facinus iudicantes à Galeni, Hippocratisque nudis verbis, vel latum vnguem discedere. Quæ res, quantum detrimenti mortalibus attulerit, ac deinceps sit allatura, vel ijs, qui summis labris medicinæ dogmata libarunt, & in re medica publicè facienda se se exercuerunt, facillimè constare crediderim. Hinc est, quòd cæteris omissis quæstionibus has duas mox enarratas examinandas suscepimus. In qua quidem tractatione pro viribus ità rem enucleare conabor, vt Hippocratem, Galenum, aut alium quempiam ex veteribus medicinæ proceribus aliter non sensisse innotescat: quò re tanti momenti primùm rationibus fulcita, mox autoritatibus, & certissimo experimento comprobata; atq; ex multorum aliter sentientium animis ignorantiæ tenebris effugatis, audacter deinceps ad hoc generosissimum remedium se se conferre possint. Quod vt commodius exequamur, ante omnia

aduersariorum rationes, ac autoritates in medium afferemus, quibus veritatem euertere imaginari possent: ijsq; (vt par est) solutis, nostram verissimam producemus.

Primò igitur Galeni Medicorum omnium post Hippocratem nulli secundi autoritatem producent 11. Methodi cap. 14. his verbis prolatam. Quippe si vires eius, qui ex humorum putredine (vt positum est) febricitet, valentes sint, mittendus statim sanguis est, si cruditas ventris non sit, statim morbo incipiente; sin vires infirmæ sint, aut ætas dissuadet, incidenda vena non est, & paulò post. At si in puerum incidat, qui quartum decimum annum nacte- nus non attigerit, mitti illi sanguis non debebit, propterea quod tantillis, cum præsertim calidi, & humidi sint plurimum corporis substantiæ quotidie diffluat, ac digeratur, ita quod ex incidenda vena moliendum nobis fuerat, id vltro nobis ex curati corporis natura præstatur. Quòd si corpus decimum quartum annum excesserit, æstimandum qualisnam eius natura fuerit, an gracilis, & spissa, & copiosi sanguinis, an contra.

Secundò, idem Galenus lib. de curat. per sang.

 miss.

miss. cap. 13. meridiana luce clarius ostendit pueris nullo pacto sanguinis missionem conuenire, sic dicens: Nam quibus venæ sunt amplæ, quiq; modicè graciles sunt, nec candidi, nec tenera carne prædìti copiose vacuabis, contrarios autem parcius, quippe qui exiguum sanguinis habent, carnemq; transpirabilem; Hac ratione nec pueris venam tundes vsq; ad decimum quartum annum, post, quem si multus congestus sanguis appareat, tempusq; anni vernum fuerit, regioq; natura temperata, & pueri natura bene sanguinea, sanguinem minues, multoq; magis si aut peripneumoniæ, aut anginæ, aut pleuritidis, aut alterius acuti, grauisq; morbi periculum incumbat.

Tertiò hanc sententiam multò magis confirmare videtur 9. meth. 5. versus finem, quo loco sanguinis mittendi scopos tractans ad naturam, & ætatem iure optimo attendendum esse precepit. Cōstat enim hac in re Gal. Doctiss. virum, omniq; laude digniss. a maximo medicinæ parente Hippocrate discrepare noluisse qui 4. de rat. vic. in acut. 19. his verbis quid sentiret pronunciauit: In acutis sanguinem de-

trahes, si vehemens videatur morbus, floruerit q; ægrotantis ætas, & virium robur affuerit. In qua quidem Hippocratica traditione apertè videmus, inter tres de sanguinis missione scopos propositos, morbi nempe magnitudinem ætatem floridam, ac virium robur, ex ætatibus duas solùm à phlebotomia arcuisse, puerorum inquam atq; senum. Quod etiam fecisse videtur lib. de cur. rat. per sang. miss. cap. 6. in princ. sic dicens. Si verò ætate neq; pueri adhuc, neq; senes fuerint, de sanguinis missione consilium inito, &c. horum siquidem propter inualiditatem, & infirmitatem ad tale sustinendum remedium ineptam, illorum verò propter naturæ propensionem ad digerendos, exhalandosq; succos paratam. Qua ratione cum doctrina omnibus admirandus, Galenus in his ob substantiæ eorum mollitiem, eius ipsius dissipationem, necnon, & virium dissolutionem, in prioribus autem natiui caloris extinctionem vereatur, maxima certè aduersione dignum putauit tam senes, quam pueros à venæ sectione prohibere. Siquidem, cum puerorum omnium ætatum humidissima substantia, omnium etiam facillimè digeratur, ac dissipetur,

quòd

quòd ex se ipsa habeat vnde naturaliter vacuetur; propter ætatem verò perpetuò ad exhalandos, & digerendos corporis succos natura sint aptissimi: atq; vacuantis huius auxilij minus egere videantur, iuremerito ante decimumquartum annum venam secare ausus nõ fuit Galenus.

QVARTÒ, Idem Gal. in lib. de sectis ad eos, qui introducuntur, cap. 8. quò huius dogmatis semper memores essent Medici, ita dixit. Sed neque vos, aut in vltima senectute cuippiam, aut puero admodum paruo sanguinem mitteretis, neque quisquam alter vnquam mittere ausus est. Nec aliter quoq; eundem sensisse apparet lib. cuius titulus est præsagium experimento confirmatum, cap. 4. vbi post multa, conscripta oratione sic habet. Hac de causa neq; pueris sanguinem ex vena detraxeris ad decimum quartum vsque ætatis annum. Quo quidem transacto, etiam non statim mittendum suadet, quinimo aliquot obseruanda præcepit, vt constat lib. de cur. rat. per sang. miss. 13. anni scilicet tempus vernum, regionem temperatam, sanguineum temperamentum, nec non & morbi speciem, quæ quidem ne immeritò

obser-

obseruanda viderentur, hanc alibi hisce verbis exposuit causam. Ergo puerorum substantia omnium facillimè digeritur, ac dissipatur, propterea quòd omnium humidissima: nulla verò frigidior. Fit autem profectò, vt propter calidam, & siccam regionem, & statum cœli impensè calidum, & siccum, notabilis per cutem vacuatio fiat. Itaq; etiam huius causa, ijs qui sanguinis detractione egent, aut prorsus venam non secabimus, aut parum detrahemus. Quod etiam magis apperte demonstrauit lib. de sang. miss. 9. dicens: Neque enim vigentem ætatem solum dixisse rectè se habet, sed & eam, quæ hanc præcedit, & quæ illam sequitur, vt videlicet duæ tantum distinctione ipsa nempe puerorum, & senum exemptæ sint. Sed Galeno prætermisso, qui pluribus locis à tali sanguinis missione nos auertit, ad alios in idem conspirantes accedamus, inter quos. Rasim primum adduco, quem pluries 20. continentis in ætate ante duodecimum venæ sectionem non fore admittendam affirmauit. Hunc Cornel. Celsus in Medicis rebus clarissimus 2. lib. cap. 9. sequutus, sic ore loquutus est. In pueris verò idem experiri, & in senioribus, vetus non

sus non est: Siquidem antiqui primam ætatem, vltimáq; hoc auxilij genus non sustinere posse, iudicabant, sibiq; persuaserant mulierem grauidam (quæ ita curata esset) abortum esse facturam. Nonnulli autem, vt hanc nostram optimis legibus sancitam opinionem solo æquarent, hunc quoq; scrupulum obijcerunt, quod quibus pueris sanguis est ademptus, ijs augmentum prohibetur, & tardè crescunt, ac difficilè pristinum robur recipere valent. Quod quidem quam futile censeri debeat, ipsa palam facit ratio; nam cum facultatum naturalium, quæ in omni alimenti ratione operantur, robore pueri cæteris ætatibus præstent, teste Galeno, siquid materiei ad incrementum aptæ sanguinis missione est ademptum (quod profectò minimum esse potest) id certè nullo resarcitur negocio, caloris inq̃natiui, & facultatum naturalium firmitate, nec non, & functionis inde manantis perfectione ac celeritate, quibus rebus pueri maximè polent. Quibus omnibus, alijsque similibus argumentis, ac autoritatibus freti quidam in doctissimorum virorum lectionibus nihil versati, & in praxi parum exercitati, venæ

sectionem

fectionem ante decimumquartum annum interdicunt, ac vituperant; non alia de causa, quam quod maiorem fieri spirituum resolutionem ab ea crediderunt, quam à pharmaco purgatorio, quod illi substituendum curant, quod quam parùm consideratè demonstrabimus, vbi exactam de vena secanda in pueris iuxta doctissimorum dogmata quæstionem absoluerimus. Quod facilè assequi speramus, si prius Galeni, & aliorum in contrarium adductas autoritates secundum genuinam, ac veram eorum mentem interpretati fuerimus. Qua in re deliberanda duo sunt nobis primum examinanda, primò, quid per ætatem puerilem intellexerint illi medicinæ patres. Secundò, qualis in sanguine mittendo mos à Gal. & alijs eiusdem tempestatis Medicis seruaretur; quibus cognitis facilè in auditorum animos conclusionem hanc nostram impressam iri arbitramur. Pueris inquam ante 14. annum citra aliquod periculum (vbi de hoc præsidio indicationes sese offerunt) venam tundi posse. Oportet igitur videre quid concipiamus per hoc nomen ætas, vt postea sciamus quot ætates statuere debeamus.

Aetas ergo (vt ad institutum redeamus) communissimo suo conceptu est quædam temporis regula; quæ hominis vitam commensurat, quam quidem græci ab solis aduentu dici crediderũt. Nam sicut sol suo accessu, & recessu tempus mensurat, ita per ætatem vitæ humanæ spacium metiri consueuimus: quod tripliciter antiquis accipitur. Primò pro spacio centum annorum, & æuum appellatur, & hoc modo intellexisse Ouidium credendum est vbi de Nestore sic ait.

Vix bis centum, nunc tertia viuitur ætas.

Secundò accipitur pro vitæ humanæ spacio, in quem sensum sacræ sæpè accipiunt literæ. Tertiò pro hominis vitæ parte vsurpatur, sicut dicimus pueritiæ iuuentutis, ac senectæ, vt hoc loco etiam à nobis reputatur. Sed quoniam pueritia est ætatis hominis vitæ pars, & pars non cognoscitur, sine totius cognitione, quia ad totum refertur, ideo si quid de ea ætatis hominis parte nobis confabulandum est, oportet prius videre, quænam sit hæc hominis vitæ mensura, & quod est totum. De quo ab Antiquis nil determinati, certiuè haberi potest, ob historicorũ varietatem, cum aliqui ad 200.

alij ad

alij ad 300. (vt fertur) vixerint annum, quidam autem vt sacræ testantur paginæ, ad 900. peruenerint: nonnullos autem memini legisse me apud probatiss. sacrarum literarum scriptores historicos, qui in censu sub Aug. Cæsare relati sunt annum 150. attigisse. Nec hoc loco prætereundum iudico quod Io. Baptista Montanus doctissimus de Nicolao Leoniceno suo præceptore scribit, qui annum attigit 106. & agens 96. annum publicè in scholis profitebatur. Noui & ego Io. Baptistam Sangallum Medicum Laudis Pompeæ celeberrimum, qui centesimum excedebat, & annis sexaginta continuis medicinam publico ære faciebat in oppulentissimo Sancti Angeli Oppido, quo cum sæpissimè pro ægrotantium salute sum congressus, dum in amplissimo ac amænissimo S. Columbani Oppido publicę curationi præessem. Quapropter constat nos nihil de hoc viuendi termino certi præfigere posse, quod quidem non aliundè prouenire posse conijciendum est, quàm ex causarum longitudinis, & breuitatis vitæ variatione, ad quarum diuersificationem, effectum quoque variari est necesse. Hæc autem diuersa causa-

 rum

rum ratio, qua breuitas vitæ acceleratur, & longitudo protrahitur, vel ex deprauata victus ratione, aut regione, cœli statu, labore & imoderato, alijsuè similibus (breuitati consulens) omissis, originem trahit. Quocircà cùm tot huius mutationis existant Causæ, quid mirum si certos, aut proprijs terminis circunscriptos limites de humanæ vitæ spatio habere nō possumus? Quantùm tamen hac de re ratione, & experimento, & bonorum autorum lectione nosce permissum fuit, & assequi valuimus ꝙ sic habet. Quod integra, & ea quæ sinè molæstia aliqua degitur vera vitæ nostræ periodus ea creditur, quæ triginta annorum spatio concluditur: hoc enim vitæ curriculo hominem sinè aliqua quærela viuere obseruamus, ità vt ad id vsquè tempus, nequè operationes sint valdè læsę, & homines inter cœteros commodè conuersari valeant: Post quam quidem ætatem lōgus potiùs interitus totum quod superest, quàm vita existimari meritò debeat.

De huius periodi causis licet varię fuerint opiniones, quinque tamen præcipuæ fuère sectæ, Astrologorum, Mathematicorum Politicorū, Philosophorum, & Medicorum. Nam Astrologi

logi ad astra referunt,& ad suas trinitates astronomicè diuidentes reducunt, quia cœlestes influxus ac reuolutiones, inferiorum rerum (vt verè sunt) causas esse crediderunt, sed quoniã leges posuerunt, quas (vt arbitror) non intellexerunt, ideo illas, potius tanquam auribus gratas, quàm veras, enarrare non pigebit.

Pro firmissima statuerunt basi mundum hunc inferiorem non alia ratione superioribus orbibus contiguum factum, quàm vt ab eis vim recipiat, cuius rei euidentiss. argumentum solem esse contendunt hanc nostram plagam aliter cum ad austrum declinat, aliter cùm suprà nostrum verticem sublimior effertur, afficit, quod si in sole hoc verificatur, idem quoq; in alijs syderibus, septemq; planetis necessariò ponunt, quorum singulos, singulis, quibus vterus geritur mensibus præesse voluerunt, à Saturno incipientes omnium planetarum supremo, quem quidem imperium in fœtum ab ipso statim conceptu primo mense obtinere non sinè physica ratione constituerunt, quòd semen ex Hip. & Galeno res humida, ac fluxilis, multo spiritu plena, & idcircò mobilis, & agilis, ad hæc etiam ab omnibus vteri partibus

ex æquo affectata, & attracta, & ob id extendi, & dilatari assueta, Saturni munere cogi, & constringi, atq; inquantum necesse est densari, firmariq; autumarunt, si ex hoc aut homo, aut aliud animal existere debet, alioqui in ea (exempli gratia) homini generando subiecta materia cogeretur, spissareturq;, & extensa, dilatata, ac diuulsa defflueret, excideret, & vnione dissoluta, corrumperetur. Hinc est quòd huic ministerio, Saturnum frigidum, & siccum præficere voluerunt, quò genituram duabus illis qualitatibus; frigiditate, et siccitate contrahat, denset, & coagulet, & tandiù Saturnum in genitura esse volunt, donec secundi mensis præses Iuppiter, in orbe secundum tenens locum, eandem quoq; afflet, caliditate quidem temperata genituram foueat, dilatet, & ad incrementum habilem reddat, humiditate autem suscipiendæ formæ idoneam faciat. At cùm augmentum sinè nutritione fieri non valeat, hæc genitura menstruo sanguine nutrita saturatur, & aliam propemodũ induit naturam, sinè forma tamen, interim existentibus corde, cerebro, & hepate necdum articulatis, quæ tamen prima formari

contingit, concretionem attamen, & satis notandam ac manifestam obtinent magnitudinem, & similem obseruaui in vxore D. Dominici (dicti il cuggino) ex pedisse quis Illustrissimæ D. D. Iustinæ Estensis Marchionissæ Iulia appellata in oppido S. Martini p opè Regium anno 1567. quæ cũ timore repenti obruta genituram deposuisset, seu potius embrionẽ oui anserini magnitudinem referentem, coram Serenissimo Ferrariæ Duce, ac Alouisio Acstense Cardinal. Amplißs. tunc forte fortuna præsentibus Illustrißimæ Marchionissæ iussu (cuius valetudini tunc præeram) deferendum curauimus, quo dissecto membrorum omnium manifestam distinctionem intueri licebat, cordis præter, cerebri, & hepatis, quorum loco rudis quædam, ac indigesta apparebat moles paulò post à natura perficienda. Quod quidem secundum animalis conformationis tempus esse existimandum est, quo concretio illa non amplius genitura, sed caro Hippocrati est, & Galeno dicenda censetur. Tertij hinc mensis magisterium iure sibi Mars vendicat, vt suo exuperante calore superfluum totius massæ illius humidum absumat sicco au-

tem,

tem, prædicta tria vitæ principia confirmet, & manifesta reddat: Quo effecto quemadmodum Mars tertij mensis dominator ceterarum omnium particularum velut lineamenta quædam, & adumbratam efformationem configurationemq; præstitit: Adueniente mox sole quarti mensis præside ab Saturni orbe spiritus formatoris ope partium earundem delinaementa Marte regnante minùs perspicua, accuratè perficit, & artuum velut in ramos diductionem, ac deriuationem molitur, atq; vt vno dicam verbo, vniuersam hanc hominis compagem non solùm absoluit, & extremam in ea concinnanda manum imponit, sed vitam quoq; largitur, & animam, & non amplius genitura quod in vtero est conceptusuè, aut embrio, sed infans, & puer erit appellandum, quod est quartum & postremum apud Genethliacos, siue Caldeos animantis efformationis tempus. Hinc suauissima quinto mense succedens Venus, sua frigiditate, & temperata humiditate, impressam à Marte, ac Sole caliditatem, & siccitatem attemperando, mitiorem facit: Infanti verò decorem ac venustatem aspirat. Hanc statim Mercurius sequitur

ſexti menſis Rector, qui has ſibi attribuit dotes, ſolidas ſcilicet partes vehementius exiccare, & infantem agiliorem, & mobiliorem reddere. Lunæ verò vti ſeptimo, terriſq; propinquiori orbi, ita ſeptimi quoq; menſis illam dominatricem conſtituerunt, quò infantulum multis dotibus, infinitiſque velut liberali manu beneficijs eundem bearet. quòd præterquam quòd ſua larga frigiditate, ac humiditate puero auctiore reddito copioſius alimentum ſubminiſtrat, & humores quatuor, humidaſq; corporis partes, carnem ſcilicet, pinguedinem, & medullas adauget, vterum quoq; ipſum humectando, & eiuſdem acetabula copioſo humore laxando, ad partum facilè præparat: Atq; inſuper quas ſuperioribus aſtris vires tanquam omnium infima in ſe ipſam primum recipit, eas inquam in ipſum fœtum refundere, & cumulatè regerere dictitarunt. Quo quidem infans tempore, ſeptimò inquam menſe cum ſe ſe à ſeptem iam dictis Planetis (quos mundi gubernatores vocant) tot tantiſq; muneribus donatum, ac infinitis propemodum beneficijs munitum, & auctum percipiat, alacrior effectus, geſtit: Hinc fit quòd

C tùm ita

Humid. corp. Partes quat.

tùm ita se se validè agitat, ac concutit, vt manibus pedibusq; vltro calcitrans, vt Gal. ait, vincula, membranasq; disrumpat, & ad exitum se accingat, & conetur. Atq; sicuti secundum hunc ordinem in vtero fętum perfici voluerunt, ita postquam in lucem iam prodijt, præpostero ordine Planetas homini dominari contendunt: Primum septenarium Lunæ tribuentes (vnde, & lunarem morbum pati eo tempore infantes asserunt) Secundam ætatem Mercurio, atq; ea de causa in 2. septenario cognoscere incipiunt, & moueri, quia is scientiæ præstat, aq; motui. Tertium Veneri, quòd post 14. annum semen emittere incipiunt, sunt venusti, & nil, nisi venerem cogitare videntur. Quartum septenarium iccirco Soli tribuunt, quòd tunc temporis nobiles animos habent, & honores ambiunt. Quintum Marti dicarunt, quia ad bellũ apti, robusti, audacesq; euadunt. Sextum Ioui, Nam eo tempore morum bonitate, ac ingenij polent, prudentesq; & Iouis alumni iudicantur. Septimum tandem Saturno dedicarunt, qui homines sibi ipsis tædiosos ad senectutem, vltimumq; deducat finem, donec cunctas senectutis curas, ac molæstias per-

fectè adimat. Quæ quidem omnia, vt supra dixi vt potius auditu iucunda, quàm scientifica enarrare libuit. Atq; hæc fuit. Astrologorum opinio. Omitto Mathematicorum, sententiam numeris ætates æstimantium. Taceo Politicos, hominis ætatem in tres partes secantes, vt refert Aulus Gel. lib. 10. cap. 28. primã pueritiam vsq; ad 17. Secundam vsq; ad 46. & ab hac in finem vsque vitæ tertiam numerabant. Quibus omissis ad Philosophorum Medicorumq; placita de ætatibus me confero. Sed quoniam illi in hac diuisione solũ ad actionem caloris in humidum animum adhibuerũt, hinc est, quòd hoc iacto fundamento, quòd vita in calido, & humido consistat, & vigeat, dum istud calidum viget, ac augetur in isto humido, vel intensiuè, vel extensiuè hoc totum spatium ab ipsis iuuentus appellatur: vbi autem idem decrescere, ac deflorescere incipit senectus dicitur, & sic nullo inuento medio, bimembrem solùm fecerunt diuisionem. Isti verò, Medici inquam, quoniam eorum finis, & tota intentio, in presenti tutanda sanitate, & in absente recuperanda est posita, & huiusmodi sanitas optimè cùm in curatione, tùm in

pronoſtico paratur, atq; ars curatiua, & prognoſtica à recta ætatum cognitione deſumitur ſi ætates per calidum, & humidum menſurantur, & à caloris ac humoris proportione temperaturæ conſtituuntur, à quibus cunctæ bonæ, & malæ operationes perfici ſolent: & ex varia temperatura ætates etiam variari erat neceſſe. Hinc eſt quòd ex varia calidi in humidum actione prouenientе, varias quoq; ætates excogitarunt, quò illis ad pronoſticandum, & curandum facilior via patêret. Et quod ab ætate (vbi calor rectè menſuratur) recta pronoſticandi ratio deſumatur, habemus Hippocratis autorit. 2. aph. 80. cum ait Catarrhi in valdè ſenibus difficilè maturantur. Præterea ſi in ægro innati caloris plurimum fuerit, benè morbum terminaturum pronoſticabimur, ſin parum, & morbus magnus, aut ægrum non liberari, aut in longum tempus morbum protrahendũ facilè prædicemus. Item ſi nobis oblatus fuerit infantulus, ante ſeptennium morbos hunc inuadentes, omnes à ſuperuacanea humiditate pendêre iudicabimus, quales ſunt, qui ab Hip. 3. aph. 24. 25. & paſsim enumerantur, vt ſunt aphtæ, vomitus, inflationes, terrores, pa-

uores

uores, & Vigiliæ. Nam demus omnes operationes esse propter calidum, & humidum, si viderimus calidum in multo humido, quia materia multa est, & natura fluxilis, & calidum concoquit, ideò materia ad quamcunque partem facilè confluit, quo fit vt paruo negocio in Epilepsiam, lyppotimiam, ac cordis incidant tremorem, a quibus etiam sanari possunt licet quandoq; moriantur, ob velocissimum morbi motum. Quòd insuper ætas ad curationem plurimum conducat, meridiana luce clarius efficitur, cum in euacuationibus ipsis administrandis (quod hac in quæstione contendimus) nihil æquè remedij quantitatē (non indicata qualitate) moderetur, atq; ipsa ætas: sic, & in diæta præscribenda, alijsq; multis vacuationibus sensibilibus, vel insensibilibus administrandis, quæ vt notissima prætermittimus, ob prius adductas manifestissimas rationes. Quod idem de temperatura sentiendum est. Nam qui sunt temperamento calido, & humido horum corpus in perpetua transpiratione permanet facileq; à quacunq;, vel leui causa, puta labore, defatigantur, vt facilè exudantes labori ineptissimos, quales Germani,

quos

quos licet vasto corpore cernamus, labores tamen haudquaquam tolerare queunt: contrà Hispani, & Ligures laboribus sufficiunt, & inediam facilius patiuntur: Hinc est quòd pueri immoderatas exercitationes non tolerant, nō inediam, aut quamcunq; aliam euacuationem. Cognita igitur ætate difficilè non erit in medicatrina plurimum proficere, & effici Artis domini. Sed quomodo istud calidum in humidum agat ad has varias ętates effingendas iam breuibus experiamur.

Pueri, Tirones, & alij nonnulli quare labores, inediamque non tolerant.

Diximus suprà iuxtà Philosophorum placita totam vitam in calido, & humido consistere, & iccircò quam diù ille calor in eo vigebit humido, & augebitur intensiuè, vel extensiuè; Philosophi totum id spatium iuuentutem appellarunt, vbi verò non amplius crescit agendo, sed contrà minuitur, vniuersum id interstitium ad finem vsq; vitæ senectutem dixerunt, nec aliquod medium inter hæc duo extrema posuerunt. At Medici medullitùs rem speculantes cum sint sensitiui artifices, alio modo ætates diuiserunt pro sensibili scilicet mutatione, quâ ex huius caloris in humidum actione percipiebant. Et quoniam omne agens in agendo re-

patitur

patitur necessariò, cernentibus ipsis hominem à sui ortus initio esse maximè humidum (cum ex operationibus præterquam quòd ex principijs à priori 2. de temper.) quod genitus est ex sanguine menstruo, & semine quæ sunt valde humida corpora. Præterea etiam sensu manifesto, cum omne animal dum est minimũ carnes flexiles habet, & ossa facilè cõtorquentur, rubent, & sanguine plena apparent; tùm etiá à posteriori id comprobant, quia infantuli neque mouentur, neque sensus viuaces habent. plurimaque scatent pituita (cuius signum est quod morbi omnes eius ętatis ab ea pendent) ideò calor innatus in tanto agens humido non proportionato, licet multum in tali actione laboret, Medicis tamen aliquid effecisse non creditur, & tantæ humiditatis perseuerante dispositione, nec aliqua apparente sensibili mutatione Medici consideratione digna, & donec ea sensibilis mutatio conspicua sit, primam ætatem ijs terminis contineri iudicarunt, quæ infantia nuncupatur, quam septem mensibus quidam finiri tradunt: Vbi autem vlterius calor agendo perseuerat, donec humidum aquosum magis densatur, & fit magis concoctibile,

& inde

& inde sensibilis quoque demonstratur alteratio, ac mutatio, aliam statuerunt ætatem, quæ vt plurimum fit annorum septem: quo tempore maior in corpore manifestatur variatio, nam tunc animales operationes incipiunt viuaciores reddi, ad motumq; aptiores, morborum variationes contingunt, ætas etiam deuenit fortior, sinè aliqua euidenti mutatione ad secundum vsquè septenarium, quod decimo quarto anno terminatur. Hinc vehementius agente calore, humidumque illud magis siccante, alia maior sequitur, mãgisque euidens mutatio ad tertium annorum septenarium, cuius terminus ad 21. extenditur annum, & adolæscentia appellatur, & est 4. ætas, quoniam primum mensium septenarium continet infantiam; & à septimo mense vsquè septimum annum terminatur secunda infantiæ pars. Secundum annorum septenarium comprehendit pueritiam, tertium adolescentiam. Huic immediatè succedit iuuentus, à 21. ad 28. in quo quidem septenario corpus in latum augetur ad quintum vsque septenarium. Quo vbi peruentum est, cum calor in humidum illud in quod agebat ita suas exercuetit vires, vt ad

perfectio-

perfectiorem statum illud idem reducere amplius non possit, proculdubiò veluti quidam ætatis status fieri cernitur, quo fit vt (neque in longum, neq; latum, aut profundum deinceps crescente animali, neque etiam decrescente) illa ætas consistentiæ meritò appelletur, quem quidem perfectionis gradum vbi calidum in humidum perpetuò agens acquisiuit, nec perfectiorem assequi possit, nec in eodem statu diutius permanere valeat, decrescere est necesse, vt decernit Medicorum oraculum primo aph. 3. ideò tunc temporis quidam veluti vitæ hominis status fieri censetur, in quo non videtur homines aliquam sensibilem pati mutationem per totum sextum, & septimum septenarium, nec aliqs in ea ætate, eoq; annorum numero senescere sibi persuadeat, quòd cum iuuenibus saltent, hastisque ac ludis adhuc concurrant, & cum mulieribus versentur, quæ tamen sinè fatigatione facere non opinantur, licet re vera, ratione iudice, ità esse dubitandum non sit. Cum itaq; apertissimum nobis euaserit quomodò ex varia caloris innati in humidum actione, & coctione diuersi quoquè ætatis gradus acquirantur, vsquè quo humidum

illud vltimam adeptum sit perfectionem, quò tempore ità subiectam sibi materiam dispo- suit, vt nil ampliùs superflui in quod agat, su- persit, & quod subagitare valeat, reliquum erit, vt (cum ab actione nunquàm desistat tanquã agens naturale) in humidum radicale propriũ sibi pabulum insurgat, illudq́; depascatur, in quo naturali perficiendo opere; quis nisi men- tis inops calidum agens tandem infringi, he- betari, & vltimò toto consumpto humore ad nihilum quoquè reduci sibi non persuadebit? ob illam, quæ omni agenti insita est à natura qualitatem, vt à patiente aliquid quoque repa- tiatur? & paulatim ac sensibiliter animal de- crescat ad vltimam vsquè ætatis periodum? Quod decrescendi totum tempus senectutem appellarunt in quo calor amplius non augetur sed decrescere iam incipit, licet insensibiliter, & est illud (vt paulò ante diximus) in toto sex- to, & septimo septenario, vbi autem ad qua- dragesimum nonum est peruentum, ad mor- tem vsque; secundum senium esse voluerunt, quod non annorum septenarijs terminari con stituit Galenus, sed morte ipsa. Licet ergo, vt suprà retulimus, nihil certi de humanæ vitæ

periodo

periodo ob historicorum varietatem determinari debeat, vt videre est apud Coelium Rodiginum libro 19. antiquarum lectionum cap. 20. 21. & 22. Quid tamen quantumuè ex medicorum, ac Philosophorum monumentis de ea diiudicandum esse crediderint, iam enarraui, quod epilogi modo sic habet. Totum scilicet hominis vitę curriculum in tres ætates diuiserunt, primam, secundam, ac tertiam. Primam in qua calor semper augendo procedit, quæ iuuentus dicitur, hanc in quinque partes subdiuidentes primum mensium septenarium, primæ infantiæ (quam perdurare dicunt, donec dentire incipiunt) totum reliquum temporis ad annos vsque septem, secundæ infantiæ tribuentes. Secundum annorum septenarium ad annum 14. Pueritiæ, à 14. vsque ad 21. Adolescentiæ à 21. ad 28. Iuuentuti, sequitur postea status & est secūda ætatis pars à 28. ad 35. indiuisibilis, quæ cōsistentia seu consistens ætas appellatur, quo tempore citra manifestū decrementum viuit homo. Tertiam verò ætatis partem principalem idest decrementum, quidam in duas quoque subdiuiserunt, quarum primam duobus septenarijs absolui volue-

runt à 35. ad 49. Vltimam autem ad mortem vsque Gal. autem 5. de san. tuend. Vltimo in tres diſiunxit, primam ſenectutis partem viridem, & crudam appellans ſenectam, in qua nondum tanta eſt virium imbecillitas, vt à publicis, ciuilibuſque negocijs ceſſare cogatur. & à quinquageſimo in ſexageſimum exporrigitur, & de hac loquens Virg. 6. Aeneidos de Charonte, ſic ore locutus eſt.

Iam ſenior, ſed cruda Deo, Viridiſq. ſenecta.

Secundam excipit annus ſexageſimus, & in ſeptuageſimum perdurare creditur, priore quidem infirmior, laboribusq; obeundis inepta. Quam tertia tandem extrema, omniumq; miſerrima, ſummaq; vitæ pars ſequitur, Decrepita ætas meritò nominanda, in qua ſenſibus cunctis fermè deperditis, conuulſisq; animi viribus effæta natura, nil aliud eſt, niſi vox, & vmbra, cuius ſpatium à 70. anno in octogeſimum, & ad Aras vſq; nos comitatur: Quo quidem vbi peruentum eſt; Non vita, ſed labor, & dolor, morſq; potius vel eius imago erit exiſtimanda, vt optime Dauidica cecinit Lira pſalmo nonageſimo, licet omnibus his in ætatibus pro varia Elementorum contempe

ratione

ratione, Diuersam quoq; temperamentorum ac totius vitæ sortem corpora nanciscantur. qua ratione alijs, alij robustiores, & viuaciores redduntur. quidam magis tempestiuè, alij verò tardius senescere conspiciuntur.

Absoluta de ætatis hominis periodo tractatione, ad alterum quod sum pollicitus præstandũ accedo, De Galenica, & aliorum antiquorum venæ sectione, qua scilicet quantitate sanguinem detrahebant: his etenim duobus à nobis absolutis, & veluti ad trutinam perpensis, quãtum vnicuiq; ætati, & quantum noxij humoris pro ætatis ratione sit hauriendum, notissimum facilè euadet.

Quòd igitur Galeni temporibus sanguinis missio amplior, & magis copiosa, quam nostris fieri soleret, Mediciq; eius tempestatis largiorem sanguinis quantitatem adimere audêrent, hoc non est in dubium vertendum, cum clarius id sit, quàm quòd demonstrari egeat, ex ipsomet Galeno, qui decem millibus in locis sanguinis missionem ad animi deliqum vsquè exercendã imperauit, quandoq; sex cotylas, idq; confertim vlla sinè intermissione nempè, secundo, vel tertio die, aut quarto, nonnumquam primo, vt

mo, vt ex eius verbis manifestè habemus in lib. de sang. miss. cap. 12. circà medium, & ne nobis præceptum illud memoria excideret, circa eius finem rursus inculcauit, sic dicens. Sic itaq; affectis ægrotis (vt diximus) ad animi vsque deffectionem sanguinem detrahere cõuenit, noui enim quosdam illorum, & animi deliquio necessariò esse refrigeratos, ac toto corpore succedentibus madoribus aluo soluta celeriter morbo liberatos. Hanc eandem sententiam protulit primo aph. 23. dicens. Nam, & in ardentissimis febribus, si vsque ad animi deffectionem sanguis mittatur, statim totus corporis habitus refrigeratur, & sudores emanant, & quidam eorum prorsum sanitati sunt restituti, alij valdè adiuti ægritudinis vehementiam absciderunt. In maximis inflammationibus, & vehementissimis doloribus nullum maius remedium noui, quam vsquè ad animi deffectum euacuare, & quæ sequuntur. Quod etiam confirmauit lib. 2. de humor. Com. aph. 17. & 9. methodi medendi. & nos quoquè his oculis obseruauimus in Domino Isidro Bonfante Ciue Papiensi, cui Excellentissimi præceptores mei D. Nicolaus Boldonius, Status Mediolani

Boldonio et alijs præcipientib. Isidorus Bonfantis sanguinis miss. ad animi deliquium peruenit cum salute.

diolani Prothomedicus, & primariam p racti-ces ord. Cathedram occupans, D. Matthæus Bobius, & D. Barptolomæus Maijarolla, ad animi deliquium sanguinem effundendum me præsente iusserunt, qui intra sex horas à febre liber euasit. Idem, & ego exercendum præscripsi. In Illustrissimo Carolo Balbiano Belzoiosi Comite, dum eius curationi præessem annò 1571. quod quoquè in alijs penè innumeris (quorum memoria non suppetit) sum exercitus, quadraginta annorum spacio, quo medicinam faccio publico muneri semper addictus; Sed tametsi iam adducta ratio de Galenica, & hippocratica phlebotomia, quæ ijs temporibus exercebatur aliquid ad solutioné conducere possit, à rei tamen natura rem enucleemus; ea etenim ratione nullus vnquam in morbis vacuationem exposceret, quam pro ratione morbi; & eius causæ, vndè cum pueri tantam ferant sanguinis detractionem, vt morbo æquiparetur, hominemquè à morbo liberare possit, siuè is præsens, siuè futurus sit, non aliter illam in adulta ætate, quam puerili conuenire oporteret, siquidem simili modo adhibita, aut liberat, aut in meliorem dispositionem pue-

nem puerum deducit, quæ sibi commodè adhibetur vti adolescentum, quæ sibi propria esse videtur, & iuremerito accommodata, atquè hac ratione pariter pueris atquè ætate florentibus phlebotomia conueniret, ambobus pro morbi vehementia, & causæ magnitudine adhibita. At res non ita habet: Nam de scopo ab ætate desumpto alio modo est diiudicandú. Siquidem ex ætatibus, senectus si adiunctam non habeat imbecillitatem, sanguinis detractionem patietur, si verò cum illa virium robur non affuerit, excludetur à secundo scopo, nempè virium robore. Quis enim si senectam solo annorum numero appellauerit (cum sit frigida, & sicca quædam intemperatura) cum illa vires constare affirmauerit? nullus profectò, sed cum Galeno in lib. de sang. miss. nulli seni vires sufficere audacter pronunciabit. Pueritia tamen nullo alio modo à medico considerari debet, quàm aut corporis habitus, aut tempus anni calidum, quod non aliter consideratur nisi prout est vires dissoluens, sicut, & habitus corporis latorum pororum. Hinc fit quòd non omnino indicant sanguinis missionem, nec vt præcipui phlebotomiæ scopi habentur

bentur, sed minorem quantitatem detrahendam solummodo indicant, eo quòd facultas deinde ab ambientis caliditate dissoluitur, aut ob pororum raritatem, quæ incommoda Medici vitare volentes, parcius emittere student. Cum igitur vires nunquàm phlebotomiam indicent, sed illi consentiant, aut repugnent, ità & ætas ipsa, vel conspirare, vel renuere debebit: & quemadmodum aer calidus, aut regio, aut corporis habitus rarus, ob id, quòd facultatem, & aliquid simul de morbi causa dissoluunt, ità quoq; sanguinem parcius mittendum docent: & sicut primum repugnans facultas est, quoniam eius imbecillitas præ se indicat sanguinem non esse mittendum, Eodemmet modo pueritiæ ætas, quia per eam innata quædam vacuationis species adest, qua causæ portio in ambientem digeritur aerem, & ipsa quoq; facultas, quia interim quoq; dissoluitur, minorem certò sanguinis quantitatem minuendam indicat, vt correpugnans, & ex accidenti repugnans. Quarè quoad ætatem pertinet sæpissimè sexagenarijs, & septuagenarijs magno morbo correptis, aut doloribus acribus, aut ictu percussis sanguinē demimus:

Pueris quoq; antè duodecimum, & post septimum annum venas frequentissimè secant doctissimi quiq; Medici, & Junioribus, his præsertim, qui latiores habent venas, & sanguinei sunt temperamenti. Secundo autem ætatis anno, tertiò, & quarto, vbi continens aliqua febris puerum apprehenderit, quæ sæpè pueros inuadere solet potissimum cum Variole pullulare debent, & morbilli, sanguinem mittimus cruribus scarificatis, quandoq; etiam brachijs, vt se fecisse notat Amatus Lusitanus centuria 3. curat. 15. & 16. qui non modo pueros quintum, & sextum annum agentes phlebotomo punxit, sed & infantem mensium sexdecim crurum scarificatione à morbo liberauit. Idem in omni alio morbo magno de prædictis facere præcipientes, educi enim possunt quatuor, aut quinque vnciæ, quibus etiam supra sex. Post quartum verò ætatis annum pauci sunt; quibus venæ non pateant adeo, vt probè secari possint, & magno ægri commodo supra quinque vnciarum quantitatem sanguine hausto, & aliquando repetitâ vacuatione ad vnciarum duodecim quantitatem eduximus, vt in filia Sebastiani Bentij Ciuis Fossanensis qua-

driennum nondùm peragente præcepimus, cui tertiò intrà quinque dies secta fuit vena felicissimo successu mihi assentiente Domino Paulo Mediolano Medico Excellentissimo. Cùm igitur puerorum ac infantium infinitum numerum obseruauerimus, qui à magnis morbis hoc præstantissimo auxilio liberati fuerunt: Reliquum est vt pueris aliquo magno morbo correptis hoc præsidium tanquam tutissimum cõmendemus.

Multa possem hoc loco Galeni loca adducere id confirmantia, quæ lubens omitto, ne quod maximè triuiale est in dubium vertam.

His de Hippocratica, & Galenica phlebotomia, & de Aetatibus à me habitis, vt sum pollicitus, & quod in omnibus ætatibus, alij, alijs sunt robustiores, aut imbecilliores, vt ex Galeno est demonstratum lib. de sect. ven. cap. 13. ad aduersariorum omnes autoritates contra nostrũ hoc dogma adductas, nullo alio argumento respondendum existimaui, quàm vt Galenum eundem producam quò ipsemet seipsum manifestè explicet doceatq; se à nobis non discrepare.

Ad primam igitur objectionem autoritatem

inq; Galeni 11. meth. cap. 14. contrà nos adductam. Dico Galenum loco citato docère methodum curandi febres putridas, non autem synochum, qui cùm duplex sit, atq; neuter oriatur nisi in corpore multo prædito sanguine, & viribus valentibus, calentisq; ætatis proprius sit, vt fatetur 9. meth. 3. non mirum est si in curanda febre putrida pueros à sanguinis missione auertere visus est citato loco, præsertim cùm in eius synochi curatione præcipuum statuat remedium phlebotomiam ad animi defectum, quod tamen in pueris est euitandum, vt idem declarat lib. citato, cap. 4. dicens. Siquidem eorum, qui ex sola obstructione febricitarent nemo in putredinis febrem incidit, qui prius sanguinem miserat, quem, vbi valida virtus subest, & ætas permittit, vsque ad animi defectum mittere expedit; vbi alterum non satis respondet, tutius est quantum satis visum fuerit principiò detrahere, quod defuit, iteratione supplere. Quibus verbis manifestè apparet, non omninò, nec ab omni sanguinis missione pueros esse arcendos, sed ab ea, quę ad animi deliquium perducit, aut ab aliqua alia egregia eiusdem detractione; non au-

tem à

tem à mediocri, aut etiam si sit opus reiterata.
Ad secundam verò autoritatem Gal. lib. de cur. rat. per sang. missionem cap. 13. cum dicit: Nam quibus venæ sunt amplæ, quiq; modicè sunt graciles, nec candidi, nec tenera carne præditi, copiosè vacuabis, contrarios autem parcius, quippe qui exiguum sanguinis habent carnemq; facilè transpirabilem. Hac ratione nec Pueris ante 14. annum sanguinem mittes. Dico ex hac Galeni autoritate facilè notum fieri non omnino sanguinis missionem pueris esse interdicendam. Nam ibidem cômparat temperamenta, & habitus corporis, quibus maior, minorue sit demenda sanguinis copia, (suppositis semper mittendi sanguinis scopis præsentibus) & cum subdit. Nec Pueris hac ratione ante 14. annum sanguinem mittes, sic erit intelligendus Galeni locus. Hac ratione pueris, qui graciles sunt, candidi, amplas venas non habentes, sed teneram carnem, facileq; transpirabilem, nec sanguinem mittes ea quantitate, quæ solet cœteris detrahi, nempè qui contrarij sunt habitus, & temperamenti, quod quidem idem clarè indicat expresßis verbis in principio capitis, dicens. Primum qui-

dem

dem omnium scire oportet dum prædicti huius auxilij scopi augentur, maiorem indicari vacuationem, imminutis verò tantum de vacuationis quantitate detrahendum, quantum illi imminuti fuerint. Cùm igitur morbi magnitudo tanquam indicans, remedium exposcit, & virtutis robur haud reluctabitur, semper tale remedium erit adhibendum, legibus tamen ac conditionibus paulò ante descriptis, & sic videtur secundæ autoritati satisfactum.

Quòd enim Gal. omnino senibus, aut pueris venæ sectionem absolutè non interdixerit, ipsius verba amplissimam faciunt fidem. Nam vbi de puerorum substantia humidissima, & calidissima, calida, siccaq; Regione, æstiuo tempore, cœliq; statu impensè feruido verba fecit, quę sanguinis missionem remorari admonuit, etiam in his quibus alia quoq; ratione morbi inquam, & causæ (cui primùm, & per se competit, & morbi magnitudo remedij citò admittendi necessitatem admonuit) statim subdit. Itaq; ijs qui huius causa sanguinis detractionẽ egent, aut prorsus venam non secabimus, aut parum detrahemus. Ex quibus planè constat, non omninò pueris, aut senibus phlebotomiá

prohi-

prohibuiſſe, ſed magna id præmeditatione eſſe exequendum, adeò, vt ſi ætas puerilis cum graciliꝰ habitu, paucíq; ſanguinis, & viribus imbecillibus copuletur, non detrahendum conſulat, ſi verò hæc abſint, cauſaq; morbi expetat, & morbus ad id moliendum perſuadeat, parciùs detrahatur, cum ætas remedium non expetat, ſed eius quantitatem metiatur; & Qđ Galenus de decrepitis, & in vltimo ſenio conſtitutis ſit intelligendus, vel ſaltem in ſecundo ſenio, & de malè temperatis, & ſic etiam de pueris in ſecunda infantiæ parte conſtitutis, Audite obſecro illum ſic loquentem lib. de cur. rat. per ſang. miſsionem, cap. 13. Proindè ſeptuagenarijs prædictis pulſibus præſentibus, quandò iubet effectus ſanguinem mittes, ſunt enim nonnulli, & in hac ætate multi ſanguinis cum validis viribus, ſicuti alij ſicci, & pauci ſanguinis; & paulò poſt ſubiungit: itaq; non numero annorum (quod quidam faciunt) ſed & corporis habitui animum aduertes, nã ſunt qui ſuæ ætatis anno ſexageſimo non ferant, cum ſeptuageſimo ferant, atqui ijs minus auferes, etiam ſi eundem affectum, quem florens corpus habere videantur. De pueris autem ſic

ait.

ait. Post hunc verò decimum quartum annum si sanguis multus coaceruatus appareat, tempusq; anni vernum fuerit, & regio natura temperata, puerią; natura sanguinea, sanguinem eo magis auferes, si vel peripneumoniæ, vel anginæ, vel pleuritidis, vel alterius acuti morbi ac vehementis periculum immineat. Primò autem, ait, cotylam auferes, quod si tibi postea vires expendenti validæ permanere videatur, dimidium eius iterata detractione adijcies. Quibus verbis, quid clarius, aut ad rem nostram aptius excogitari potest, cum harum autoritatum solutio ex eodemmet autore eliciatur? nihil enim aliud hæc oratio Galeni nobis declarare videtur, nisi, quod cum duos sibi sanguinis mittendi scopos proposuisset, morbi scilicet vehementiam, viriumq; robur, Alterum quidem indicantem, alterum prohibentem, si quis præter hos, cœteros etiam omnes his versiculis contentos examinauerit, nempè.

Ars, ætas, regio, Virtus, complexio, forma,
Mos, & Symptoma, tempus, repletio, victus,
Hæc sunt pensanda Medico vacuare volenti.

Qui inquam si cum scopis præcipuis conuenerint, humorum multitudinem, ac virium robur præ-

bur præse tulerint, maior sanguinis copia erit exaurienda, sin minus tantò parcior, quantò illi minus sanguinis subesse ostenderint, extat demenda. Ambobus enim his scopis præsentibus (ait Galenus) magnitudine morbi, viriūq; robore, nulla est crudorum succorum plenitudo tanta, talisq;, quæ sanguinis missionem impedire queat. Et sic non omninò sanguinis missionem, aut pueris, aut senibus prohibere visus est, sed ab ætate puerili, & senili quantitatem solùm metiri docet: Ità, vt, si duo primi scopi coiuerint, Primùm vt plurimum cotylam auferes, quòd si posteà tibi vires expendenti validæ permanere videantur, dimidium eius iterata detractione adijcies; & quod res ità habeat, clarissimè diuinus Hippocrates 4. de rat. vic. in acut. 24. & 25. palam fecit. Venam igitur brachij internam secare oportet sanguinemq; auferre inspecta secūdum habitum ætatemq; minoris, plurisuè ratione: quo loco ætatem sub corporis habitu comprehendendam esse declarat, ac si diceret. si corporis pueri habitus bonus sit, mittendi sanguinis indicationi non contradicit, sed eius ætatis habitus ratione, maioris, minorisuè vacuationis notas

F accipi-

ait. Post hunc verò decimum quartum annum si sanguis multus coaceruatus appareat, tempusq; anni vernum fuerit, & regio natura temperata, pueriq; natura sanguinea, sanguinem eo magis auferes, si vel peripneumoniæ, vel anginæ, vel pleuritidis, vel alterius acuti morbi ac vehementis periculum immineat. Primò autem, ait, cotylam auferes, quod si tibi postea vires expendenti validæ permanere videatur, dimidium eius iterata detractione adijcies. Quibus verbis, quid clarius, aut ad rem nostram aptius excogitari potest, cum harum autoritatum solutio ex eodemmet autore eliciatur? nihil enim aliud hæc oratio Galeni nobis declarare videtur, nisi, quod cum duos sibi sanguinis mittendi scopos proposuisset, morbi scilicet vehementiam, viriumq; robur, Alterum quidem indicantem, alterum prohibentem, si quis præter hos, cœteros etiam omnes his versiculis contentos examinauerit, nempè.

Ars, ætas, regio, Virtus, complexio, forma,
Mos, & Symptoma, tempus, repletio, victus,
Hæc sunt pensanda Medico vacuare volenti.

Qui inquam si cum scopis præcipuis conuenerint, humorum multitudinem, ac virium robur præ-

bur præſe tulerint, maior ſanguinis copia erit exaurienda, ſin minus tantò parcior, quantò illi minus ſanguinis ſubeſſe oſtenderint, extat demenda. Ambobus enim his ſcopis præſentibus (ait Galenus) magnitudine morbi, viriũq; robore, nulla eſt crudorum ſuccorum plenitudo tanta, talisq́;, quæ ſanguinis miſſionem impedire queat. Et ſic non omninò ſanguinis miſſionem, aut pueris, aut ſenibus prohibere viſus eſt, ſed ab ætate puerili, & ſenili quantitatem ſolùm metiri docet: Ità, vt, ſi duo primi ſcopi coiuerint, Primùm vt plurimum cotylam auferes, quòd ſi poſteà tibi vires expendenti validæ permanere videantur, dimidium eius iterata detractione adijcies; & quod res ità habeat, clariſſimè diuinus Hippocrates 4. de rat. vic. in acut. 24. & 25. palam fecit. Venam igitur brachij internam ſecare oportet ſanguinemq; auferre inſpecta ſecũdum habitum ætatemq; minoris, pluriſuè ratione: quo loco ætatem ſub corporis habitu comprehendendam eſſe declarat, ac ſi diceret. ſi corporis pueri habitus bonus ſit, mittendi ſanguinis indicationi non contradicit, ſed eius ætatis habitus ratione, maioris, minoriſuè vacuationis notas

+ de sang. miss. 13.

F accipi-

accipimus: Ita vt indicationem vacuandi à magnitudine morbi habitu, & virtute desumendam velit, ætate non præiudicante.

Ad autoritatem 9. methodi cap. 5. adductam, dico Gal. ibidem venæ sectionem pueris, & senibus nullo modo interdixisse, sed Medicos solum admonuisse, vt ad ætatem, naturam ipsam & cœli statum in moliendis sensibilibus euacuationibus animum adhiberent, cum alij ad exhalandos, digerendosq; corporis succos magis sint propensi alijs, inter quos pueros adnumerat propter ætatem. Quarè nostrę opinioni nullo modo contradicit.

Ad id autem quod quarto loco adducunt ex Gal. in lib. de sectis ad eos qui introducuntur, cap. 8. confirmatum etiam in lib. inscripto præsagium experimento confirmatum, cap. 4. cum dicit primo loco. Sed neq; vos, aut in vltima senectute cuippiam, aut puero admodum paruo sanguinem mittetis, neq; quisquam alter vnquam mittere ausus est. Item. Hac de causa neque pueris sanguinem ex vena detraxeris ad decimumquartum annum vsque suæ ętatis; quibus verbis probare videtur, quod Galen. à sanguinis vacuatione pueros, & senes secludat

hoc certè erit de vltimo ſenio, vel de ſecũdo ſe nio, at laborioſo, ac maximè debili; ſic etiã de pueris natu admodum paruis, vt ſupra notauimus, intelligendum erit, & male conſtitutis, maximè imbecillibus, malique habitus, vt conſtat lib. de ſectis ad eos, qui introducuntur cap. 4. his verbis, ſin imbecilla eſt virtus, ętasq. aut pueri admodum parui, aut ſenis in ſenium longè prouecti, &c. Cũ enim prius dixiſſet capite eodem. Nam ſi validior potentia ſit ætaſq. in conſiſtendi vigore, verum anni tempus, locique natura temperata, non tibi errare continget; ſi vena inciſa tantum ſanguinis mittes, quantum cauſa iubet emitti, vt patet Gal. verbis 9. capite lib. de ſang. miſſ. ſic relatis. Quibuſdam verò Medicis ne pueris quidem robur ineſſe viſum eſt, ſed malè rem intelligentibus, vt alibi à nobis eſt demonſtratum. Et paulò inferius ſe ſe explicat dicens. Tribus ſcopis mittendi ſanguinis deffinitis, magnitudine nimirum morbi, aut præſentis, aut imminentis, aut futuri, vigente ætatę, & robore virium extrà puerorum ætatem, & ad alias prędictas mittendi ſanguinis notas quas non pauci Medicorum adijecerũt, accedamus, qui quantitatem

 quidem

quidem detractionis, non ipsam sanguinis missionem simul indicabant. Proinde è morbo, ætate, & viribus, quòd mittendus sanguis sit cognoscitur, quantitas autem vacuationis nō solum ex istis, sed & alijs deprehenditur. Et item hoc confirmatur ab eodem Galen. lib. de sang. miss. cap. 14. paulò post medium, Aetatem nempè à phlebotomia non explôdere, sed de ampliore, vel parciore quantitate demenda admonêre, sic inquiens. Quocirca minùs detrahimus, quam plenitudo imperat, per ætates quidem in pueris, per corporis habitum in his quibus mollis, teneraque est caro, & candidis quales sunt Galli. Ex quibus satis patere arbitror quomodo Galeni loca de sectione venæ in pueris ante decimumquartum annum intelligi debeant, & quòd nullo pacto pueros excludat, sed quòd indicatio à puerili, aut senili ætate desumpta, est, sicut ea, quæ à regione, anni constitutione, & Cœli statu sumi solet. De quibus ait Gal. in lib. de sang. miss. potiùs de quantitate nos admonêre, quam quòd demonstrét an admitti, an reprobari debeat, facereq; magis ad quantitatis demendæ coniecturam, quā ad generis auxilij indicationem: Cum ea nul-

lam ad

lam ad curationem indicandam vim obtineat, sed solùm ad sui conseruationem (cum ex ijs sit quæ sunt secundùm naturam, quæ similibus conseruantur) nisi per accidens, ratione scilicet morborum: alioqui sana corpora semper essent curanda. Ergò nec vacuatorium indicabit auxilium, putà sanguinis missionē. Quid autem ad aliorum autoritates respondendum sit accipite.

Ad primam ergo, quæ est Rasis doctiss. saraceni, & in practicis rebus diligentissimi 20. continētis, in quo pluries affirmauit antè duodecimum annum pueris venam non esse aperiendam. Dico quòd licet illud protulerit, tandèm tamen resipiscens, ita subdit. Sed si est virtuosus, & morbus exigit, extractio sanguinis fiat, vndè secundum virtutem sequendum est in ea, non secundum ætatem. & Alibi addit sic dicens. Paulatim adolescentes secundum ordinem ad phlebotomiam prouehere debes cum pauca minutione.

Ad Cornelij Cœlsi autoritatem lib. 2. cap. 9. cum sic habet Antiqui primam, & vltimam ætatem à sanguinis missione arcebant, similiter, & gravidas, quod hoc auxilij genus non sustinere crede-

credebant, persuaserantq; sibi mulierem grauidam, quæ ità curata esset, abortum esse facturā: Cum tamen circunspectiss. Medicorumq; omnium sinè controuersia doctissimus fuerit, eodem capite obijectioni respōdeat, cum inquit. Si iuuenis imbecillis est, aut si mulier, quæ grauida non est parum valet, malè sanguis emittitur: At firmus puer, grauida mulier valens, & robustus senex tutò curatur. ex quibus quid concludendum sit omnibus eruditis iudicandum relinquo.

Solutis modo aduersariorum rationibus, & autoritatibus, videre reliquum est nobis, quibus legibus hæc nostra opinio de phlebotomia in pueris antè decimumquartum annum exercenda, comprobari, fulcíriq; possit.

Phlebotomiam magnum esse remedium Galeno iudice, nemo negat, si sic, ergo magno competit morbo, incipienti, præsenti, aut futuro. At magnus morbus dicitur, aut ratione quantitatis; aut ratione membri, quod occupat (siue sit in parte aliqua principe corpus nostrum gubernante, vt sunt cor, cerebrum, hepar, aut insignem aliquam actionem præstante qualis est respiratio): aut ratione propriæ essentiæ, ac naturæ

turæ intenſione, quales ſunt omnes morbi peſtilentes, & omnes ſingularum earum partium affectiones, quarũ lęſio ex principibus aliquam in conſenſum deducere prõptiſſimè cõſueuit, quales ſunt neruorum, & articulorum dolores, à quibus ſpaſmi, vigiliæ, & deliria inducuntur: In eorum quoq; genere cenſentur oris ventriculi, & reſpirationis inſtrumentorum lęſiones, quòd præſtantem lædant actionem, principesq; partes in compaſſionem citò inducere valeant. Hinc eſt quod in Angina, Pleuritide, Apoplexi, alijsq; permultis eiuſmodi affectibus tam impensè occurrimus, & ad ſuffragia ferenda promptiſſimos nos præſtamus, quoniam eam morbi illi impediunt actionem, quæ vitæ ſeruandæ imprimis eſt neceſſaria, quod in diaphragmatis opere neceſſarium eſſe quoq; videtur, quòd eiuſdem periculi pariter eius opus exiſtat: cùm potiſſimùm reſpirationis inſtrumentum eſſe credatur, cœteraq; illi, vti primò, ſeruire, & famulari non aſpernantur. In eorum quoq; cathalogum vtramq; plenitudinẽ* ad numerare oportet ex Gal. lib. de ſang. miſſ. cap. 6. & lib. 3. & 4. de tuenda ſanit. necnon, lib. de plenitudine, quibus locis nos monuit iiſdem

*quoad vasa, et quoad vires.

ijsdem nos vti debere remedijs pro futuris morbis auertendis, quibus præsentes profligamus.

Statuto igitur quod quispiam aliquo magno laboret morbo incipienti, presenti, aut mox futuro, statim de magno auxilio erit excogitandum, quò fit, vt apparente aliquo magno morbo, aut etiam plenitudine quauis, sanguinis eductionem ceù debitum remedium sibi vendicare consentiemus; Nequè profectò sat est adesse rem hoc magnum remedium expostulantem, nisi quoque reliqua conspirare conspiciamus. Quarè ex duobus dicendum est auxilij tempus constituendum esse; ex re inquam id postulante, & re illud non prohibente. A causarum genere primum indicatur, ex Galen. lib. de opt. secta ad trasyb. cap. 25. secundum verò ab ęgri virium conditione demonstratur, in quibus omnibus expendendis, licet illa decem ad trutinam ducenda forent, quæ antea tribus illis versiculis iuuenum medicorum decreto enumerauimus, de quibus si exactè pertractare velem integrum volumen non sufficeret: Omnibus tamen omissis de sola ætate ad nostram intentionem faciente verba faciam,

quam

quam quidem ætatem Gal. nullis vnquam laudibus satis extollendus cum cœteris veteribus Medicis non alia de causa à sanguinis missione antè id tempus coercebat, quàm quod cum naturam sagacissimam nostram omnium parentem indulgentissimam, maiorem illi ætati, ac magis perpetuam è toto corpore, quàm alijs fieri effluxionem oculatissimè perspicerent, & omnium redundantium humorum satis sufficientem vacuationem. Horum imitatione quorundam Medicorum turba minus considératè naturę opera, & antiquorum monumenta perpendentes, in eam deuenêre omnibus exosam insaniam, vt nullo pacto pueris antè decimumquartum annum vena secanda foret sibi persuaserint, sed pro tollendis superfluis humoribus corpuscula eorum obsidentibus, purgantia medicamenta substitui volunt, eaque sæpius iterata impudenter offerre non verentur, maximo puerorum incommodo. Verùm enimuerò nos qui Galenum veluti imperatorem sectamur, si eiusdem sæpius inculcatorum præceptorum meminerimus, aliter sentiendum deliberabimus. Is enim pluribus in locis, at præcipuè in lib. de opt. secta hoc inuiolabile

præceptum tanquàm totius curationis basim nobis propoſuit, nempè remedij genus à nullo alio præterquam ab ipſa cauſa deſumi debere quòd ab ea quid præſtandum, aut quid fugiendum ſit Medico innoteſcat. Si etenim à morbo, cœteriſque alijs in medicatione conſideratis indicationem deſumimus, quid aliud niſi quendam generalem omnibus notiſſimũ ſcopum addiſcemus, puta morbum calidum, frigidis fugandum; frigidum, calidis; obſtructionem, viarum apertione; vlcera, cauitatũ repletione, & cutis obductione ſananda? Hæc enim ipſa vt innoteſcant artifice haudquaquã indigere eſt certiſſimum. At qui de arte quapiam inquirere perfectè debet, artis digniſſima præcepta, & veras indicationes diligentiſſimè indagare tenetur, quæ vt inepto vulgo, inertiq; plebi ſunt abdita, ità perſpicaciſsimis artium indagatoribus vtiliſſima ſe ſe produnt. Cùm itaq; non tantum interſit ſcire quid demùm in genere ſit operandum, quantum, quiduè faciendum ad morbum profligandum & quibus remedijs vti ſit opportunum, iam planè conſtabit non ab effectis, ſed ab eorum cauſis ſumendas eſſe agendorum indicationes

quod

quod arbitror Galenum intelligere voluisse 4. de rat. vic. in acut. com. iiii. Cum eos taxabat quia tempus æstiuum ad sanguinem mittendum exigebant dicens, Perperam quoquè dictioni apponitur (fueritquè anni tempus æstiuum) statim enim auream hanc subnexit sententiam nèpè. Plus minus auferendi sanguinis alia quædam scopi esse dicta sunt, vt anni tempus, auxilij verò huius affectionis natura (subaudi) est scopus: ac si diceret auxilij genus à causa morbi demonstrari, cæterà verò, aut cōsentientium, aut præsidij quantitatem metientium vicemgerere: quamuis enim sanguinea affectio, aliaquè phlebotomiam largam, & excedentem requirere videatur, viribus tamē, ætate, aut nimium prouecta, aut suæ natiuitati proxima, æstu, ac regione, alijsque similibus, reclamantibus, paulò minùs detrahendum, omnesquè cauendæ integræ vacuationes totum simul, & confertim educentes, quæ licet omnibus sint vitandæ, ab ijs tamen Galenus meridionales præcipuè arcebat, ac Scythas in lib. de sectis, quod cōfirmauit, primo ad Glauc. et 9. meth. 5. 4. quo loco postquam nos continuata oratione docuit permulta ob symptomata in mor-

bis occurrentia, in totum, aut ex parte à sanguinis missione Medicos auertere, ætatemque, regionem, partis constitutionem, cœli statum, & anni tempus, & consuetudinem inter ea enumerasset, statim subdit; His etiam, & ætas adnumeranda est, veluti accidens quoddam, qđ integram vacuationem prohibendi vim habet neque enim pueri, neque seniores hanc sine noxa tolerant. Qua quidem de causa meridionales, quales sunt Ægyptij, & septentrionales, quales Scythę ab euacuatione totum educente meritò exulandos censuit eodem lib. de sectis: mediocrem autem, & pluribus vicibus exercitam: (quā millibus in locis ipsum vsum fuisse legimus) non negauit, imò cum lib. de cur. rat. per sang. miss. cap. 9. duos potissimos sanguinis mittendi scopos designasset, morbi inquā magnitudinem, viriumq; robur, ætatem cum cæteris tanquam ad metiendam solum quantitatem aptos nominauit. Ad horum igitur oculos conuertens Gal. ad solos illos duos scopos in præscribenda remedij specie respiciendos, nos fuit hortatus, ad alios verò in quantitate mensuranda, cum habitus firmitatem, venarumque magnitudinem, & earum repletionem

nem considerare magis expediat, quam annorum numerum, quod fallacissima sit hæc contemplatio propter eam, quæ in ætatum terminis designandis incertitudo existit (vt à principio cumulatè demonstrauimus) & in temperamentis varietas. Sed quæso Quis Empyricus, rationalisuè Medicus Apopleticum, Anginosum, Pleuriticum, Peripneumonicum, aliumuè aliquem quouis maximo morbo laborantem curaturus, Sole sub syrio, feruentissimoq; vigente Caniculæ æstu à sanguinis missione vnquam abstinebit? quem, si tam perfrictæ frontis inuenerimus Nauiget Anticyras melior sorbere meracas. Vt Lyricus aptissimè canit. Sed si Gal Medicorum Idolum, cæteriq; post illum venæ sectionem interdixerunt, ob duplicem quam temperamenti calidi, & sicci ratione in se habent innatam vacuationem, & eo magis si ambientis natura calida sit, An propterea vbi morbus acutior fuerit, quã eius innatæ vacuationis tempus expostulat, imminens ægrotantis periculum Medicus patietur? non item, sed statim, & intrepidè vacuatione præueniet, ne cunctabunda natura, suisque gradibus lentè magis, quam conueniat procedens

dens, priùs extinguatur, quam suburram è corpore extrudere valeat. Quocirca Gal. lib. de sang. missione, cap. 4. inquit minus detrahimus, quam plenitudo imperat, per ætates quidem in pueris, per corporis habitus in ijs quibus mollis, teneraq; est caro, & candidis, quales sunt Galli, per tempus autem sub cane, & quæ sequuntur. Quo quidem argumento, vel nullo negocio conuinci potest Galenum, cum ante decimumquartum annum pueris phlebotomiam interdixit, non alia de causa id imperasse, ad idque solum oculos direxisse, ne ab immodica illa vacuatione, quam ipse cum antiquis exercere solebat, mollis illa puerorum substantia dissiparetur. Consueuerant enim antiqui copiosius quàm nos sanguinem demere, quæ vacuatio à pueris ante 14. annum, anteq; eam ætatem sustineri non poterat: ad quod oculos conuertens Gal. loco citato non sanguinis missionem omninò interdixit, sed minus, ac parcius detrahendum suasit, quàm plenitudo commonêre videretur. Quocirca si morbus sit magnus ac grauis, viresque pueri ferre possunt, terreri à sanguinis detractione non debemus (si modò parca fiat) sed ad illam

incunctanter deueniendum est, teneræ substãtiæ, aut virium dissolutionem minimè veriti. Sed quorsum hæc? ne tantum tribuamus ætati, quin antè decimum quartum annum dictãte morbo, & non refragantibus viribus venam tundere possimus. Quod etiam de senibus robustis intelligendum est, licet in decrepita fermè sint constituti, cum Rasis seni cuidam decrepito viribus valenti, morbo tamen acuto oppresso, sanguinem tutò detraxerit, vt & ego Dominæ Augustinæ à Puteo Amitæ meæ acuta febre detentę octuagesimum quartum annũ peragranti quartò sanguinem detrahendum iussi, & adhuc superuiuit diuino munere valẽs, & agit nonagesimum secundum. Præterea si Galeno teste septuagenarios phlebotomare licet, in quibus vix superest caloris fomes, & (vt ipse asserit) inualidæ sunt vires, Cur pueris in quibus plurimum inest calidi innati demerę non poterimus parua, vt diximus, quantitate? Ad hæc; si ex alto lapsus puer, aut grauiter alioqui sauciatus è vulnere magnam quandoquè sanguinis copiam citrà noxam deponere potest, vt obseruauimus in Thoma filio D. Matthæi Paulini, quadriennium agenti, qui cum

ab alto cecidisset, & è vulnere in capite accepto cum cranei magna fractura plusquã tres libræ sanguinis prodijssent sanitati tamen intrà paucos dies fuit restitutus, quid prohibet quin secta vena tantillum sanguinis educere possimus ? Insuper, nonne naturam ipsam sæpenumero maximas sanguinis profusiones præsertim per nares in pueris efficere consueuit vt in filio Mag. D. Thomæ specialis I. V. D. cui sæpè cotylæ tres per nares effluebant citrà vitæ periculum, cur Medico naturæ imitatori fidissimo venam puero aperire non concedetur ? partemque ab ea sanguinis haurire quantitatem; quò illum ab acuto liberet morbo, aut ab acutiore præseruet ? constat igitur ætatem nullo pacto prohibere, quin morbo proprijs, ac cõgruis remedijs opitulemur. Si enim quæuis ætas validos morbos incurrere potest, quid uetat quin eadem etiam remedia in id morbi patcè, & temperatè adhibita sine noxa perferre valeat ? cum huic sententiæ tot experimenta cõsentiant ac rationibus iam dictis subscribant ? Quibus quidem rationibus à nobis in medium adductis satis superquam vnicuique in operibus artis exercitato patere potest conclusio-

nem nostram verissimam esse proferendam. Et ne quicquam ad eius elucidationem deesse videatur, iam eandem probatissimorum Virorum autoritatibus confirmemus. Inter quos Cornel. Celsus Vir excellentissimus, & in rebus Medicis solertiss. primus se se offert lib. 2. cap. 9. sic dicens, non enim quæ ætas, aut quid in corpore geratur attendere oportet, sed quæ vires. Et paulò post. At firmus puer, grauida mulier valens, robustus senex tutò curantur. Huic subscribit Oribasius lib. compendij ad Eustachiũ filium. Plena (inquit) est contemplatio phlebotomiæ magnitudo morbi, & virium robur, quod si his duobus clausulam de phlebotomia speculationem voluit, ætas licet quantitatem moderetur, non omnino hanc vacuationem cohibebit. Huius rei pleniorem fidem præstat Auicenas inter Arabes primus p. 4. cap. 20. his verbis, cauêre debes à minutione in ætate, quæ minor est quatuordecim annorum quantum plus poteris, nisi confisus fueris in figura, & soliditate musculorum, venarum amplitudine, & earum replesione, ac oculorum rubedine. Hos nanq; ex adolescentibus, & senibus phlebotomabis. Paulus huic non reluctatur, qui

 in præ-

in præfatis ætatibus phlebotomiam non omninò vetuit, sed prudentissimè adiecit (nisi irreuocabilis cogat necessitas) vt non passim illã exerceamus, & in omnibus, sed magna præmeditatione. Hoc idem confirmauit Rasis 20. continenti, qui (vt iam enarrauimus in respõsione ad argumẽta cõtraria) morbo magno existente, & forti virtute, antè duodecimum sanguinem ducendum consuluit. In eandem sententiam descendit doctissimus Arabs cum cæteris Arabibus in phlebotomando, lepore, timidioribus, qui quamuis feruidam coleret regionem, Zoarem tamen summis encomijs dignum reputauit, quod filio trimo venam aperuerit. His omnibus subscribit Fernellius Gallorum splendor. Franciscus Valleriola, quod idem multis argumentis confirmat Doctiss. Nicolaus Massa in lib. de sectione venæ pagina 27. qui Dominico fratri suo octauo ætatis anno phlebotomo apertam venam in pleuritide fœlicissimè testatur, necnon, & clarissimo Philosopho ac Medico celeberrimo D. Victori Trincauellæ anno suæ ætatis septuagesimo, quo remedio sanitatem comparauit. Horatius Augenius Doctissimus, & elloquentissimus

mus Ferdinandus Mena Serenissimi, & Magni Philippi Hispan. Regis Medicus, qui se quinquies puero decenni venæ ruptura phlebotomo facta sanguinem vacuasse restatur. Christophorus Auega Hispanus lib. 2. Meth. Med. cap. 2. quibus omnibus accedit autoritas Doctissimi Medici, perspicacissimiq; philosophi, D. D. Iuuenalis Ancinæ nunc per Illustris, ac Reuerendissimi Saluciarum Episcopi, qui acerrimè hanc conclusionem disputauit publicè in florentiss. Montis Regalis Accademia anno 1565. Medicarum suarum conclusionum 25. Non tacebo etiam totius Galliæ Cisalpinæ Medicorum oraculum nunquam satis pro dignitate laudibus efferendum clarissimum Philosophum, ac Serenissimi Duc. Sab. Consiliarium ac Medicum Excellentissimum, D. Iaffredum Gambaranam quo cum triginta annorum spacio medicinam faciendo sæpissimè sum congressus, quē ad hoc auxilium tanquam ad sacrā anchoram pro puerorum morbis fugandis cōfugisse millies fœlicissimè obseruaui. Alios innumeros possem in medium adducere hanc opinionem suis doctissimis scriptis confirmantes. Sed cum vniuersa canonicè medentium

schola hoc tanquam Axioma passim admittat; profectò cum hoc non nisi à pertinacissimo, aut maximè ignaro quopiam, & ab Hippocratis, Galeniq; ac cœterorum Medicorum dogmatibus alieno, negari possit. Et quando iam adductis, cùm rationibus, tùm autoritatibus acquiescere nolit ad vltimum caput accedamus, nempe experimentum, quod quanti fecerit semper Galenus clarissimè demonstrat eius verba 6. de san. tuenda cap. 14. dicentia experientiam normæ vice habendam perpetuò esse eorum, quæ excogitauerimus, nec scribendum pro vtili quicquam fore, cuius non fuerimus vim experti. Nam si id vice auxilij adhibueris, quod minimè exploratum habeas, idq; noxam adferat, in summum vitæ discrimen hominem adduces: quod confirmauit p. Aph. 1. inquiens in corpore humano illa experiri, quæ non sunt experientia confirmata, citra periculum non esse, cum mala experientia ad totius animalis interitum viam faciat, nec hominem à Medico sic tractandum esse iubet, sicut, artifices, ligna, coria, ferrum aliudue simile tractare solent, in quibus experiri omnia licet, quòd quæ in illis iactura contingit, nul-

lo ne-

lo negocio restituatur. Hominem verò si lædas, in vitæ discrimen agis, sæpè etiam interimis. Quod Plinius animaduertens lib. 29. natural. historiæ, cap. 1. pulcherrimè hanc protulit hac de re sententiam, in nullo alio scilicet periculosius esse mendatium, quam in eo, qui se falsò Medicum profiteatur. Nulli (inquit) magis quàm se Medicum profitenti creditur statim, cum sit tamen in nullo mendacio periculum maius. Negociantur etenim (subdit) animas nostras, & per mortes experimenta agunt. Sed quid hoc ad Medicæ professionis cautionem, aut prudentius, aut accommodatius dici potest? quid ad homines deterrendos ne se incautè quibusuis se Medicos profitentibus credant appositius? Qui etenim se temerè Medicos profitentur, cum non sint, quiq; sibi viam ad hominum salutem multa multarum rerum cognitione, & vsu non præstruxerunt, quiq; tandem nulla methodo, ac ratione muniti, nullaq; experientiæ fide septi ad curandũ ingredi audent, ij profectò negociari animas nostras non morbis mederi (vt Plinius refert) iure merito censebuntur. qua quidem ratione cum experimentum Galeno autore libro de

opt. secta ad Trasybulum cap. 11 sit compre-hensio atq; memoria eius, quod frequenter, & eodem modo visum est, & lib. de subfiguratio ne empyrica cap. 2. eam experientiam appel-larit, quam à se quispiam ipso intuitu deprehen derit, fieriq; illam ex propria intuitione necnõ historia, & congruo de re simili ad similem transitu. Theutas author grauissimus Galeno referente prodiderit. Atq; insuper si sciẽtiæ om nes duobus pedibus ambulare dicuntur ratio-ne inquam, & experimento 8. de comp. sec. lo-ca, cap. 7. eaq; certissimus sit iudex, vtpote quæ falli non potest 4. simp: med. cap. vltimo in fine. Hæc tandem subnectamus exempla experimento confirmata, ne hanc nostrã opi-nionem claudicare demonstremus (atq; ex in-finitis, quæ proponi possent, primum occur-rit filius Domini Francisci Ternauasij Carma-gnolini quadrimus, nomine Scipioni fallor, ad quem horis duabus ante auroram vocatus, & pleuritide laborantem deprehendens, secta vena mecum sic annuente excellentissimo Me dico ac Philosopho D. Francisco Gallina Do-ctissimo, citissimè liberum dimisi. Idem effeci in filio Domini Ioseph Cauatiæ pleuritidæ pa-

riter

riter correpto, ad quem media nocte accedens sanguinem detrahendum iussi, & sanitati restitutus fuit. Sed nè ab exteris exempla petamus de quibusdam Ciuibus Fossanensibus agamus, quibus maximis in morbis secta fuit vena maximo iuuamento, & à morbo liberati fuerunt, & adhuc superstites prosperè viuunt: Inter quos adnumeratur Iuuenalis, filius Excell. Medici Domini Antonij Symonis Leuroni, & Io. Franciscus filius Excell. Medici D. Antonij Cagnolli, filius D. Michaelis Antonij Thesauri, filius D. Iacobi Paserij, Gulielmus, filius D. Antonini Augerij 7. annum agens, filius D. Antonij Panaterij Mercatoris, filia D. Thomæ Pilloni trima, filia D. Iuuenalis Viterbi chyrurgi doctiss. & exercitatissimi. Filia D. Hippoliti Malliani. filius D. Michaelis Maliani causidici. filius Domini Antonini Malliani pariter Causidici. Cum alijs penè innumeris quibus à tertio anno vsquè ad octauum secta fuit vena foelicissimo successu, nec tacebo Franciscum filiũ D. Antonij Mariæ Sauinæ mercatoris Sauilianensis nepotis mei, cui nondùm cõpleto triennio tertiò vena tusa fuit, & à morbis liber euasit, & ne vlterius lectorem immorer, hoc licet

mihi

mihi citrà calumniam proferre nouennio integro, quo publicæ huius humanissimæ oppulētissimæq; ciuitatis valetudinis cura commissa fuit, nullum prætermisisse puerum morbo acuto, longisùe febribus correptum, modo tertium excederet annum, & boni habitus foret, quin phlebotomo venam apperuerim summa cum vtilitate. Atqui respondebit aduersarius quispiam, cùm nil in contrarium habeat, quòd obijciat. Hos diuino munere conualuisse, cùm nondùm fatalis dies aduenerit; cui sic etiam responsum volo; quod qui intereunt, ideò fatis concedunt, quòd præfinita interitus hora aduenerit, quam nemo potest naturaliter excedere. Sed quàm fatuum, ac absurdum sit hoc imaginari nedùm effutire, diiudicent vel medicinæ tyrones: nihil enim aliud esset, nisi totam medendi scientiam euertere, & solo æquare: Si enim cuncta solo Dei Opt. Max. nutu committenda essent, ad quid remedia tentanda? sed cum interitus nostri diem, horamque omninò ignoremus, clarissimeq; Theologorum sacris paginis, imò Sacrosancti Spiritus oraculis in Ecclesiaste constet, sacram Medicinam à Deo cœlitus ad hominum necessitatē

fuisse

fuisse demissam, vel nimis temerarij, ac maximè inertis hominis erit, hoc tam salutare à munificentissima diuina manu exporrectum auxilium pro præsenti conseruanda, & pro absente recuperanda valetudine, respuere. At gratissimi potius partes erunt totis viribus, latisque vlnis illud excipere, & amplecti. Quinimò summo rerum omnium opifici, moderatoriq; clementissimo, & munificentissimo immortales agere gratias debemus, qui nostris compassus miserijs, non modò tam immensum, profundumq; ad omne morborum genus fugandum medicamentorum pelagus longè, lateq; patens impertitus fuit, atque ad acutissimas ægritudines præter cætera, duo præcipuè exquisitissima remedia iure legati nobis reliquerit, phlebotomiam nempe, & euacuationem, per medicamentum purgans; quæ quidē duo, quò ritè, & ad hominum vtilitatem administrari valerent, doctissimis Canonibus constructam artem inuiolabili lege seruandam dereliquit.

Quòd verò cucurbitula spatularum supremæ regioni collo proximæ pro sanguinis immodica profusione coercenda, ac retinenda apposita,

nullo pacto conueniat, cum deriuatio sit, non reuulsio, licet lyppis notissimum sit, id tamen & nos breui admodum oratione demostrare volumus, ne in aduersarium inermes, & citrà artis præcepta irruere videamur. Atq; quòd perperàm id præscriptum fuisse ostendamus. Primò sciendum est reuulsionis nomen dupliciter à Medicis vsurpari, propriè inquam, & minus propriè, idest extenso vocis significato. Si de priore intelligamus, tunc reuulsio dicitur fieri ad loca maximè remota, in qua quidem exercenda quatuor conditiones perpetuò sunt obseruandæ, ex Principe 4. primi Doct. 5. cap. primo, & ex Gal. 5. Meth. cap. 3. 13. Meth. cap. 11. & 2. ad Glauc. cap. 2. quarum prima est, vt ad maximè oppositam partem materia retrahatur. 2ª. quòd inter partes sit consensus. 3ª. vt membrorum rectitudo interueniat. 4ª. vt debita inter ea intercedat proportio, ac distantia, quò ad loca nimium vicina humores non reuocentur. Quæ autem sit pars opposita, habemus à Gal. 5. aph. commentario 68. vbi tres solum oppositionis posuit differentias, nempè; suprà, infrà; dextrum, sinistrum; antè, & retrò. 5. verò meth. 3. & lib. de hirud. scarific. cucurbitu-

Reuulsio dupliciter usurpari potest.

lis, cap. 19. 4. adiunxit, eam scilicet, quæ foràs fit intrò, & è contrario. Quòd autem colligantia, seu consensus inter partes requiratur, & quæ sit istius consensus ratio, habemus à Gal 5. method. citato, & 5. aph. 50. quo loco non alia de causa fluentibus mensibus quam maximam cucurbitulam sub mammillis affigendā iubet, nisi, vt fortiorem ex vtero ad superiora faciat reuulsionem, per communes id venas artificiosè molitus, quemadmodum Hippocratis idem superuenientia menstrua mulieri sanguinem vomenti remedio esse iudicauit 5. aph. 32. Quòd etiam seruanda sit rectitudo, fusissimè persuasit Gal. lib. de sang. missione cap. 15. & 16. sicut, & quartam conditionem necessariò notandam obseruabis 13. methodi 11. in qua quidem reuulsionis specie propriè dicta omnibus oppositionis differentijs iam dictis vtendum, & seruatis conditionibus prius enarratis; quo quidem reuulsionis genere vti solemus tunc tēporis, cum tardam, temporariamq; fieri humoris cuiuspiam fluxionem obseruamus, atq; præter id quod fluens materia crassa, & pauca existit, inducias quoq; præstat, nec maximo in aliquam impetu irruit particulam,

quo casu istud reuulsionis genus requiritur, talisq; oppositio seruari debet, sicut fecit Gal. 13. meth. cap. cit. cum laborante manu, cruris venam secari præcepit, & affecto crure ad alterum crus materiam reuocandam fore consuluit. Secundo modo, & extenso vocis significato reuulsio intelligitur, non solum de ea, quæ propria dicta est reuulsione, sed medium quoddá significat inter reuulsionem, & deriuationem, quæ inquam ad maximè remota (sicut reuulsio propriè dicta) neq; ad proxima (vt deriuatio) fieri solet: quo quidem reuulsionis genere vtitur Galenus cùm laboranti iugulo, non in crure, sed cubito venam secat, & latere læso, non à cruribus, at à cubito sanguinem trahit. Quæ sectio præterquàm quòd sanguinem ab affecta auertit particula, ab eadem etiá vacuandi non paruam vim obtinere videtur. Cuius quidem reuulsionis secúdo modo dictæ vsum admittunt doctissimi quique Medici, quoties materia fluens, aut tenuior, aut copiosior quàm par est existit, vel copia, tenuitateq; molæstat: & tunc instante morbo, fluxionisq; augmenti periculo imminente, nè ad aliquam fluxio subitò decumbat partem, eamq; grauiter af-

ter afficiat, non priori, sed posteriori potius vtantur reuulsione. Cùm igitur, hæc duo, à summo medicinæ parente Hippocrate inuenta sint, omnis inmodicæ vacuationis remedia, deriuatio inquã ad proxima facta, & reuulsio ad contraria, cum hoc remedium (cucurbitæ scilicet superiori scapularum parti collo proximæ appositio, pro immodica sanguinis è naribus profusione cohibenda) nec priori, nec posteriori reuulsionis modo accõmodari possit (cùm deriuatio potius sit quædam) nullo pacto in casu nostro admittenda, reliquum est, vt maximè nocua, & nullo pacto conueniens existimari debeat, vt iccircò explodenda, quòd potius sanguinem ac humores, ad superiorem affectam partem allicere, quam eosdem longè auertere sit idonea. Quod si aduersarij, huic nostræ sentẽtiç assentiri noluerint, nisi Galeni verba id ex professo dictantia proponantur, hoc quoque non reluctabimur, vt illis demonstremus rem non ità habere, sicut pertinax eorum opinio persuasit. Quarè vt illis more geramus audiant Galenum, & sic loquentem 13. meth. cap. 19. sub capitis finem. Præterea cucurbita in occipite defixa efficax est remedium, ad oculorum

lorum fluxiones vacuari tamen prius totum corpus expedit. Nam si pletoricum corpus sit (alias refertum sanguine) in quacumq; parte capitis cucurbitam defixeris totum ipsum implebis. Sed quoniam hæc de reuulsione primo, & secundo modo dicta, necnon de deriuatione fusissimè à Galeno. Sunt declarata 5. method. cap. 3. ex quibus quid in hac re iudicandum sit, quiuis ellicere valet: Ad institutum iam redeo. Atq; cùm de priore quæstione cumulatè satis iam egerimus; & quòd tutò antè decimum quartum annum pueris phlebotomia admitti debeat seruandis obseruatis, & nequid huic orationi mutilum videatur, ad secūdum remediorum genus accedemus, experiemurq; vtrum horum tutiùs pueris antè id tempus exerceri debeat, & quod magis vires imbecilles reddat, an phlebotomia, an medicamentum purgatorium: Qua in re profectò cùm vtrinque validæ proponi possint rationes, quid agendum, & deliberandum sit, ambigo.

vantiges Phlebotomo.

Et hęc de ętatibus dicta sufficiant, quòd si quis de vitæ humanæ periodo plura curiosius ediscere maluerit, quæ nos taciturnitate præteriuimus, ea longiore oratione petat à D. Augustino

ſtino lib. 15. de Ciuit. Dei, qui robuſtiora, & ampliora multò hominum corpora priſcis temporibus quam ſua ætate fuiſſe teſtatur, quod idem confirmat Homerus lib. 5. & lib. 12. Illiados. Iuuenalis Satyra 15. Lucretius lib. 2. Plin. lib. 47. cap. 16. naturalis historiæ. Cuius quidē breuitatis vitæ cauſa nō eſt hoc loco deſcribēda, cū de ea fuſiùs tractaturi ſimus huius tomi quæſtione 31. vbi Deo fauente diſceptabimus An puella nouem annorum concipere poſſit: non tacebo tamen interim quod Io. Vaſæus in Hiſpaniæ annalibus deſcribit, cap. 10. plures in Portugallia cēteſimum vigeſimum annum excedentes reperiri, & Luſitanos quoſdam fide dignos apud Indos hominem reperiſſe trecenteſimum annum iam exceſſiſſe. Atq; anno 129. ab vrbe condita, In Gadibus Arganthonium Tarteſſiorum Regem patriam ſuam octoginta annis rexiſſe, vt certis ex authoribus probat Valer. Max. lib. 8. cap. 14. ita vt annis 140. vixerit, licet Aſinius Polio apud eundem ſolùm 130. illi tribuat, quem inter viuaces enumerat Baſilius Epiſtola ad Nepotem. Thomas verò Fazellus de rebus Siculis lib. 7. prioris decadis, cap. 3. in Eryce Monte Drepani vrbi vicino

tantam

tantam aëris clementiam reperiri fatetur, vt ad 120. annorum ætatem homines perueniant. Et Agathius rerum Geticarum lib. Ermanari Gothorum Regem centesimo decimo vitæ suæ anno, vulnere inflicto lateri defunctum, & nõ morte naturali viuis decessisse, palàm confitetur; & si plura exẽpla adhuc expetat lector, cõsulat primum lib. miscellaneorum Hieronymi Magij cap. 4. Sabellicum, & Iulium Solinum, cap. 4. Polyb. historicum aliosque complures historicos. Quos breuitati consulens, lubens prætereo.

SECVNDA QVÆSTIO.

EXPEDITA priore quæstione, ad secundam me conuerto, in quâ disserere conuenit, an vbi necessaria est venæ sectio, ea omissa, medicamento purgatorio vtendum sit, à quo vires minus debilitari à nonnullis creduntur, quàm à sanguinis detractione, quod validis rationibus sic tutari conantur.

PRIMO nanq; aduersarium quempiam sic argumentantem audire videor. Illud magis vires debilitare censetur, quòd spiritus vitales magis resoluit, & totum corpus refrigerat, & ad cuius absentiam opera naturalia deterius habent. At ex sanguinis missione hæc omnia sequuntur incommoda, ergo, & magis quam medicamentum debilitabit. Maior probationem non postulat. Minorem probabit, quòd omnibus in propatulo esse quiq; cernant multum è spiritu vitali cum sanguine educi, quo excreto vniuersas corporis partes, cùm principes, tùm famulantes refrigerari, suoq; munere perfectè fungi non valere clarissimè cõstat, Quod etiam Galeni autoritate confirmabit in lib. de

ren. affect. cap. 4. Erasistratum quoq; adducet virum alioqui à Gal. laude dignum reputatum quem constat non alia ratione venæ sectionis vsum prætermisisse, nisi ob eam quæ ab hoc remedio sequitur virium iacturam, ac totius corporis imbecillitatem, in qua vires periclitari percipiebat.

Huic sententiæ subscribunt prisci omnes, quibus præcipuum studium erat, vt quantum possibile esset ægros à venæ sectione auerterent. Hippocratis forsitan exemplo admoniti, qui licet quæcumq; pro curandis ac profligandis morbis acutis doctissimè, ac luculentissimè in lib. de publicè crassantibus morbis conuenientia discusserit, de venæ sectione tamen ne verbum quidem fecit, sed solum de purgatione.

In hanc hæresim Arabs quoq; incidisse visus est; qui primo 4. trac. 2. cap. 44. de vniuersali putridarum curatione agens, ita inquit. Et si possibile est vt non phlebotomes vsque ad tertiam periodum: fac, non ob aliud, nisi quòd bonum rapit, tanquam expulsioni habile, & prauum relinquit, tanquam ad expellendum ineptum, & contumax. Quod quidem ratione etiam constat, cum non leue in sanguinis detractione pe

ricu[lum]

riculum de vita hominis, & de virium maxima resolutione subsit, ob vitæ thesauri in quo animæ instrumenta fideliter recunduntur, extractionem. Videmus enim apertè, continuóq; experimento comprobamus, permultos, à sanguinis missione ita toto corpore perfrigeratos vt in membrorum principum summam deuenerint imbecillitatem, appetitus prostrationē, cachexiam, venarum mesaræi, hepatis, ac lienis inclementes obstructiones, & tandem hydropem, aliosq; longissimos affectus præcipitasse, Sed hæc præter quorsum dij boni id arte tentandum vacuationis genus, quod à natura sæptissimè non solùm citrà virium iacturam, sed maximo potius ęgrotantis commodo siue per nares, siue hæmorrhoidas, sedem, vrinarios meatus, aliamùe sensibilem, aut insensibilem euacuationem perfici solet?

Hanc sententiam confirmat, & nos à tali phlebotomia terrere debet, quòd permulti sunt, qui vsq; adeò venæ sectionem abhorrent, vt vel solo non phlebotomi ictu, sed chyrurgi aspectu in syncopem incidere consueuerunt.

His omnibus, aliud maius sequitur incommodū, multos scilicet sæuissima incurrere symptoma-

ta vt millies obseruauimus, puta quibus nerui punguntur, sensuque, aut motu, aut vtroque per totum vitæ curriculum destituuntur, & quibus ob internotionem difficilimum est venam secare, aut ob arteriæ incisionem; Has etenim ob causas, graue imminere periculum certò scimus, si venæ loco, arteria diuidatur. Quæ omnia enarrata incommoda cum euitari possint, si sectionis venarum loco medicamentum soluens subrogetur; dicendum profectò est, & instanter affirmandum pharmaci purgantis exhibitionem magis ex vsu fore, tutiorem, & minorem virium exolutionem efficere, quam faciat ipsa phlobotomia, & ideo eo magis pueris esse propinandum, quam sit vena secanda. Quæ quidem rationes pharmaci purgatorij vsum pueris magis conuenire contendunt, quam phlebotomiæ quod vires non adeo deijciat. At si ad alterius sectæ opinionis deffensores oculos conuertamus ita suas partes tutari conabuntur.

Primò illud magis idoneum, & natura magis aptũ est vires deijcere, spiritus resoluere, facultatesq; omnes prosternere, quod secundum certam mensuram, & pro corporis temperamento, vi-

rium constantia, atq; peccantis humoris debita quantitate euacuari à medico non potest, At eiusmodi est ea, quæ per pharmacum purgans fit euacuatio; ergo hæc magis viribus officiet, quam phlebotomia. Minor probatur, siquidem nemo est, qui cuiusuis medicamenti certam mensuram ita viribus, ætati, & corporis temperamento æqualem exporrigere possit, vt ab eo determinata humoris peccantis quantitas secundum Medici intentionem euacuare valeat Imò difficillima erit in medicamēti exhibitione præscribenda coniectura, ob varias, ac multiplices hominū naturas, quas nemo certis regulis cōmensurare ausus est vnquā cum vniquiq; sit notissimum primā medicamenti purgatorij, vomitorij, diuretici, alteriusùe generis propinationem in Medici quidem manu esse constitutā, successum verò, nequaquam, sed fortunæ potius esse cōmissum, cum sæpenumero ægrotantes in maximo vitæ periculo collocentur, vel cum medicamentū ingestum non excernitur, vel si excernitur cū dolore, morsibus, torminibus, syncope, aut maxima totius corporis perturbatione deponitur: vt dum hæc scribentes vidimus in Reue-

rendo

rendo Fratre Archangelo Minorita, qui cum medicamentũ licet leue deponere non potuerit, in grauissima tormina, syncopas, aliaq; pessima symptomata incidit, & parum abfuit quin vitam cum morte commutaret, nisi cõmodis auxilijs promptissimè opem tulissemus. Et quot videre licet, quorum vires effrænatã medicamenti qualitatẽ cum domare non possint, nec à Medico est cohiberi, in maximum vitæ discrimen constituti fuere? imò vitã sæpe cum euacuatione terminarunt? Cũ igitur nec à natura, nec ab arte talis medicamenti propinati qualitas se regulari patiatur, & iusta eius quantitas naturæ corporis proportioni aptari nequeat, quis tutius medicamento solutorio vtetur, quàm phlebotomia? Cũ ab aperta vena, parum, multumùe sanguinis exhaurire liceat, aut eundem sistere? Cũ præsertim de ea loquens Auic. dixerit meliorẽ multò esse numeri multiplicationẽ, multiplicatione quantitatis? quæ euacuatio in Medici potestate semper reponitur, quod de medicamento purgatorio asserere non debemus.

Secundò, cũ omne, quod in corpus ingeritur vel venenum, vel alimentũ, aut medicamentum sit quem-

ſit, quẽadmodum venena corpus, eiuſque innatum calorem ac propriam deſtruunt ſubſtantiã, & vt alimenta proprium, naturaleque temperamentũ conſeruant, & augent; ita medicamenta, tanquam medio modo habentia, modò iuuant (ſi contrarias ſanitatis cauſas, inſolenteſque in corpore humores debito modo eduxerint) modò maximè lædunt, vbi vi aliqua deleteria ſunt prædita, certè non niſi maxima conſideratione eorũ vſum Medicus approbare debebit, quando eadẽ medicamenta etiam ſi deleteria natura non ſint, malã tamen qualitatẽ, & venenatã acquirere ſunt apta vbi determinatũ humorẽ nõ euacuauerint, ſed in corpore diutius morã traxerint Gal. decreto in lib. quos, & quand. purg. op. cap. vltimò ferè in principio, inquiens; Illa inſtar veneni occidere, & 6. in ſextum Epid. Commento 5. Hanc ſententiã confirmauit Ariſtotiles primo problem. 43. quo loco fatetur maximè vexari, ac delaſſari corpus vireſque magnopere proſterni, & hominẽ de vita periclitari, ſi quando contingat medicamentũ viribus potens in vẽtriculo morã contrahere, nec à calore innato euinci, ac reſolui, tunc enim illico, ſemitas

permeans

permeans, meatusque per quos alimentū defertur, transeundo, quid quid obuiam est secū violentur attrahens, acre certamen prorritat, & iam dicta mala concitare consueuit in his præsertim, quorum natura Medico est ignota. Quæ mala certè à sanguinis missione nullo pacto impendere possunt. Cū hæc omnino timoris expers sit, omnium euacuationū facillima, tutissima, & quæ suū munus statim expedit. Videmus etenim ab hac statim, vel oculi intuitu feruidissimas domari inflāmationes, fluxiones maximè irruentes firmari, ac vehementissimos dolores sedari. Sed quisnam vsq; adeo hebetis ingenij esse potest, qui auxilium illud præferre nō audeat, à quo subitò corpus, & sine aliqua mora iuuamentum suscipere cōspicitur? quod cum à sanguinis detractione, sequatur commodi, non autem à pharmaci purgantis exhibitione, quod non nisi post sex, octo, decemùe horas, & amplius, & aliquando post biduum triduumùe suas exercere vires retardat: Iuremerito sanguinis missio purgationi erit præferenda, & maximè administranda, à qua tametsi quandoque minus auxilium sequatur, quam à purgatione, securius

tamen

tamen præsidium consequetur æger, quòd ab hac nullum omnino periculum impendeat, veluti à medicamento deiectorio. Galeni sententia 2. de rat. victus in ac. com. 11. quod idẽ confirmauit commentario 3. in lib. de humor. com. 21. sic dicens. Cum verò morbus non modo acutus sit, sed etiam vehementissimam febrim adiunctam habeat. tunc multò magis ne medicamentum purgans demus erit vitandum, ac potius per venæ sectionem facienda vacuatio ex qua minor quidem existet, quàm ex purgatione vtilitas; multò tamen sit futura securior; cum maximum à purgatione periculum immineat præsertim verò si quis naturam ægroti non cognitam habuerit, quidam enim ita natura comparati sunt, vt ægre purgentur: quidam vel exiguo epoto medicamento copiosè purgantur. at si homini naturam ignores, est periculum, ne aut maior quam par sit sequatur euacuatio; aut ne omnino purgatio moueatur, aut si moueatur, vt ne tamen quod satis sit euacuetur, quæ omnia maximas in morbis acutis noxas inferunt. Cum (vt ante notauimus) in Medici potestate reposita non sit deiectorij pharmaci euacuatio, velut ea,

quæ ab aperta vena fieri consueuit, quo tempore parum, aut multum: paulatim, aut confertim extrahere Medico licet, apposito sæpius vulneri digito, aut eodem amoto.

Cum ergo tantum commodi à sanguinis missione ægrotantibus succedat summumq; bonum, & vacuationem cum voles ex animi sententia sistere possis, & rursum quoad vsque lubet extrahere, ridiculus certè is censebitur Medicus, & à probatissimorum canonicè practicantium Excellentissi. Cætu omnino arcendus, qui in his affectibus, quibus phlebotomia necessaria est, & omnino requiritur (vt in casu nostro fuit) ea prætermissa, ad purgans medicamentum sese conuertit, præsertim cum meridiana luce clarius sit, medicinas huiusmodi semper de humiditatibus naturalibus cum superfluis, & alienis humoribus aliquid subducere, & de spiritu, qui est vitæ substantiæ pars magna, & ex eo quod virtutem membrorum principalium, & eis seruientium summopere debilitat, vt testatur Auicenas 3. primi Doct. 2. cap. 1. Hippocratis autoritatem adducens dicentis quod medicina purgat, & inueterat.

Hæ igitur sunt rationes, & autoritates, quas

vtrinq; adduci posse existimaui, cùm pro priore, tùm posteriore tutanda opinioue. Verum cùm priorem amplectendam,& insequendam, alteriq; præferendam censeam; opere pretium erit, rationibus, & autoritatibus contra primã opinionem adductis, respondere, quo præstito, quid postea in hac controuersia deliberandum esse iudicem breuibus subnectam, ne in re tam dubia lectorum animos diutius implicitos permittam.

Ad primum quandò dicitur, Illud magis debilitat, quod magis spiritus omnes resoluit,& corpus totum refrigerat, & ad cuius absentiam omnia naturæ opera languent, concedo, At quod sanguinis missio hæc omnia præstet, negatur, quia moderata sanguinis eductio, non solum vires non habetat, sed veluti sarcina totum corpus oppressum exonerat, & ad omnes operationes, perfectius præstandas idoneum reddit,& corpus modice refrigerat, imò & oculorum aciem prius vaporum à sanguine crasso eleuatorum iniuria habetatam, mirum in modum exacuit, & totum corpus ad omnia munia exequenda agilem efficit. Licet ad immodicam sanguinis extractionem, puta ad animi deli-

deliquium factam prius dicta incommoda, & ijs maiora consequi solent.

Ad Hippocratem autem, cum dicunt eum in lib. de morb. vulg. ne verbum quidem de phlebotomia fecisse, & in lib. de morb. acut. sed solú de purgatione, cum tamen in his ardentiss. febribus nullum excellentius remedium excogitari possit sanguinis missione. Dico Hip. de sanguinis missione in febribus acutis non loquutum præsertim tex. 5.6.7. & 9. vbi earum curationem docet, non quòd illam conuenire non cognosceret, sed quoniam paulò post textu 19. vniuersalem canonem omnibus acutis morbis communem, & maximè congruum descripturus erat, inquiens. In acutis passionibus sanguinem mittes (Si vehemens videatur morbus) floruerítq; ægrotantis ætas, & virium illis affuerit robur.

Ad Auicēnam autem cum ait abstinendum à phlebotomia vsq; ad tertiam periodum. Dico illum non tractasse de ea, ob efferuescentiæ bilis metum, cum sanguis sit eius frænum, ad cuius extractionem, præsertim largam, bilis effrenis redditur, cum alibi ipse met de immodica sanguinis missione dicat, Caue ne ægrum ad alterum

duorum

duorum perducas, aut ad calidorum ebullitionem, aut ad frigidorũ incrudationem. Vel dico, illum, Hippocratem fuisse sequutum, qui in ardoribus febrium extinguendis, non sanguinis missione; sed aquæ mulsæ potu, vomitione, & alui deiectione ex Asinæ lacte cocto fuit vsus; hoc potissimum argumento; Quòd cum extremis morbis, extrema conuenire remedia iudicasset, Synochæ autem febres (quæ ardentissimæ appellantur primo aphor. 23.) sint in quibus nulla remissio, nulla quies, sed perpetua accessio, & calor ad crisim vsque perdurans; in alijs autem ardentibus ex bile sola, contrà, remissiones, & tepores per statos quosdam dies inuenies; grauiorem autem, & grandiorem illam existimare debemus, in qua æger magis periclitatur. Huius sanè morbi magnitudinem à modo curationis indicari necesse erat, quem Gal. 9. meth. & primo aph. 23. sanguine ad animi deliquium vsque educto fieri voluit; quod quidem de nullo alio febrium genere illum intellexisse credendum est, nisi de eo Causonide, seu de ea Ardentiss. febre, quæ à sanguine, id est sanguinis massa omnes humores continente in venis q; putrescente fit; quod ibi

Synochus putris sanguineus.

omnes

omnes humores confusi sint simul, & permisti (cùm nil detur in corpore purum, & simplex ex 7. de vs. part. & 2. de elem. & lib. de nat. humana, necnon primo de feb. diff.) atq; vbi putrescunt perniciosissimi generis febrem excitant, cui nisi sanguinis missione occurratur, in summum vitæ discrimen ęgrum perducit; vt apposite notauit Gal. 9. meth. cum multo grauior ea febris censeri debeat, quæ ex omnium humorum intus corruptelá putrescentiũ exoritur, ea Causo, quæ à bile sola exquisita putrescente generatur: In hac etenim, & in cœterarum ardentium febrium continuarum, tertianarum inquam, quartanarum, & aliarum (quę nullatenus tam propriè continentes, & synochi dici possunt) ardoribus, non missione sanguinis ad animi deliquium, sed iam in dictis remedijs mitioribus succurrẽdum Hippocrates putauit 4. de rat. vict. in ac. locis citatis. Cũ enim febris ardens ex bilis vstione procedat magis, quàm ex eius, aut alterius humoris putrescẽtia, cumq; curatio per contraria perfici debeat, profectò, vt ad ea quæ putrescũt cõpetit magis cõcoctio; sic ad ea, quæ vrũtur conueniunt magis attemperantia, quòd con coctione potius

Synochus biliosus.

Gen. [illegible] lib. 9. Synochus [illegible] putredinis indicat [illegible] ad animi deliquium ... [illegible] attemperantia, febres [illegible] alia ex humor. putrescentia [illegible] concoctionem.

opus

opus sit in illis, quam in istis. Hinc est quòd Hippocrates locis citatis sanguinis missionis non meminit in huius febris curatione, sed solum de attemperantibus verba fecit, & humoris feruorem frænantibus. Quem imitatus, Auic. in tertianis etiam à sanguinis missione quantum fieri potuit abstinendum meritò consuluit.

Ad illud quando dicitur frustrà tentari à Medico id euacuationis genus, quod à natura sæpissimè tentari ac perfici solet, vel per sanguinem è naribus, hæmorrhoidas, &c. Dico hoc verum esse si natura has tentet, & aggrediatur tempore debito, vacuationes esse multò salubriores & præstantiores, quàm si easdem ars adoriatur: Sed si ipsa nullam moliatur, vel diminutam, nulla est ratio, quæ Medicum naturæ imitatorem remorari debeat, quin eius vices præstare teneatur. Seruatis ad unguem his conditionibus, quas Hipp. & Gal. præcipiunt Aphor. 21. 2. particulæ.

Ad id autem quod aiút. Per multos in syncopem incidere solo Chyrurgi aspectu, respondeo; hoc non remedij qualitatis ratione prouenire nec ex parte eius, sed ab ægrotantis natura le-

poré

pore timidiore, quo ad illum actum ſolum, cũ ipſe millies obſeruauerim ſtrenuiſſimos milites ac in inuadendis hoſtibus promptiſſimos, & audaciſſimos, qui licet infinita ſuſcepiſſent vulnera, & ab eis fluentem ſanguinem intrepidè inſpicerent; vbi tamen chyrurgica manu fundentem ſanguinem aperta vena perſentiebãt, ſtatim animo linquebant. Cui tamen ſympto-matiiis, quæ ſpirituum reſolutionem prohi- A bent, & quæ eoſdem recreare valent, & corroborant, occurrendum eſto, atq; inter cœtera ſoleo prohibere ne ſyncopem incurrant, Si æger (antequam gladioli acie venam aperiat Chyrurgus) in ore aquam frigidam contineat donec ſanguinem eduxerit, ex anhelitus enim continentia ſpiritus non euaneſcunt, nec æger lyppotimiam incurrere poteſt, quod mihi ſemper fœliciſſimè ſucceſsit. Et his qui ſic affici ſolent, conſulo, vt parcius detrahatur, & per interualla digito vulneri ſæpius admoto, eo enim tempore, quo vena clauditur, natura ſui theſauri auara, bonum à malo ſegregat, nec A tanta ſolet, nec tam confertim fieri ſpirituum reſolutio.

Ad illud verò quod obijciunt de ſæuiſsimis ſym-

ptoma-

promatibus contingentibus, & maximis incommodis, aut ex neruorum punctura, aut arteriæ incisione. Respondeo pariter non auxilij ratione, sed Chyrurgi inscitia contingere hæc, & ideo seligendus erit Chyrurgus, qui perfectè venarum distinctionem, deriuationem, ac situm calleat, ne pro vena arteriam, aut neruum pungat, vt obseruauimus factum fuisse in quodam Ioanne Satellite Fossani cui phleboto mo punctus neruus, brachij munere amplius perfectè fungi non potuit. quod & in alijs per multis contigisse vidimus.

Quibus sic à me in vtranq; partem adductis cùm rationibus, tùm autoritatibus, solutisq; contrariæ hæresis obijectionibus: vnicuique vel mediocriter in artis præceptis erudito, ac exercitato (cui tamen pectus tabifico liuore non scateat) satis patere arbitrabor, hanc nostram opinionem, Pueros nempe ante 14. annum si acuto aliquo morbo sint correpti, vel paulò post corripiendi, & vires satis validæ fuerint, cùm curationis, tùm præseruationis gratia phlebotomari citra controuersiam debere, cōtrariæ esse præferendam, Et prætereà medicamenta purgantia magis vires resoluere, quam

faciat ipsa phlebotomia. Atq; ideo etiam (qd bona pace dixerim) aut modis omnibus amẽtes, aut in naturæ, artisq; operibus parum versatos, aut temerarios eos, qui cum se Medicos profiteantur, compendiosam, planam, tutam, & robur virium minime destruentem venæ sectionẽ viam omittentes, & ab ea declinantes, purgatoriorum medicamentorum prolixam, asperam, periculosam, & læthiferam amplectun tur, hancq; priori, maximo ægrotantium dãno substituere audent. Cùm nemo sit inter vetustiores, aut recentiores Medicinæ proceres tam cęcus, amens, aut ab Hippocratica medẽdi methodo auersus, qui licet in omnibus alijs rebus Medicis dissentire videatur; in hac tamen sola non conueniat, venæ scilicet sectionẽ inter medica præsidia præstantissimum esse.

Sed cùm iam tempus sit, vt his quæstionibus finem imponam: ne quis de his nos ità tractasse existimet, vt venæ sectionem inhibendam per omnia putemus, neq; etiam omnes venę sectione egere, sic & soluentia medicamenta omninò vitanda, aut omninò nunquam sanguinis missioni substituenda: Paucis quomodo Medici prædictis auxilijs vti debeant, enucleabo, &

bo: & quomodo soluendi hi nodi meo iudicio sint, apertissimè declarare conabor, præcipuè cùm in vtroq; erratum contingere possit.
Quòd igitur in rebus omnibus mensura seruanda sit tanquam optima, non Medicorum, sed & Philosophorum omnium cœtus confirmat, cùm liquidò constet, omnes excessus à mediocritate dissitos esse malos, & citrà maximam ægrotantium, aut benè valentium noxam admitti non posse, vt clarissimè notauit Hipp. & Galen. 2. aph. 4. Hæc enim medendi ratio tutissima est, cùm mediocris, siuè etiam magnus aliquis affectus curandus proponitur, vt lentè, paulatimq; eximatur, non enim citrà corporis offensionem, magnamq; perturbationem, naturęq; iacturam vniuersum demoliri repentè licebit, multoq; magis, si corporis substantia rara sit, aut eximio sensu prædita pars, ætasùe nimium natiuitati vicina. Ità siquidem non præter rationem Magnus Hippocrates pronunciauit Aph. citato 2. particulæ. Vniuersim, & repentè vel vacuare, vel repellere, vel calfacere, vel refrigerare, vel quouis alio modo corpus mouere, periculosum. Quocircà ego licet in cunctis fermè affectibus venæ sectionem maximè cõ-

modam iudicem, in his præsertim, de quibus verba fecit Gal. in lib. de cur. rat. per sectionem venæ. multisq; alijs in locis; cum tamen non ita facilè Medico innotescat, quibus huius auxilij vsus conferre debeat, tum mensura, venauè secanda; sectionisq; tempus non sine magno negocio reperiatur. Propterea scopos omnes iam prædictos ad sanguinis missionis vsum admittendum necessarios veluti ad perpendiculum nouisse oportet, in his præcipuè, quorum particularis natura, ac temperamentum Medico sunt ignota. Siquidem, si quispiã affectus sanguinem ad tres vel 4. heminas detrahendum postulat, quemadmodum si multò minorem copiam detraxeris, nil penitus ægrũ iuuabis, eodem modo si eidem ad deliquium mittes, ex tali immodica vacuatione non solum totius corporis perfrigeratio, morbi longitudo, & ex quauis minima leuiq; occasione maxima læsio, sed coloris fœdatio, cachexia, & tandem mors ipsa consequetur. Sunt etiã quibus in omne vitæ tempus (ob talem indebitam inanitionem, quæ reparari non potuit) corporis temperamentum ad summam peruenit frigiditatem, infinitorum malorum causã.

Quocirca

Quocircà, qui sanguinis missionem citra læsionem obire desiderat; scopos iam à nobis ex Hipp. & Galeno enumeratos; & maximè opportunos, exactissimè considerare debebit: morbi inquam magnitudinem, Virium robur, & ætatem, (quæ ætas quomodo consideranda veniat; iam longo sermone secundum Gal. mentem prius edocuimus) atq; insuper, quæ sit naturalis hominis temperies. ex prædictis, etenim, Morbo, Viribus, & Ætate, sanguinem minuendum cognoscimus; vacuationis autẽ quantitatem, non ex illis solummodò, sed & ex alijs Medicus prudens deprehendit; putà ex Plethorica vocata syndrome, aeris ambientis temperie (in locum, & tempus diuisa) ex anteacta vita, ex quantitate, & qualitate excretionum, motionibus, alijsq; huiusmodi, quæ (ne palinodiam canã) lubens prætereo. Oportet igitur Medicum ità, quę à nobis supra dicta sunt in sanguine mittendo discutere, idq; nõ modò in excellentissimis auxilijs, sed in alijs quoq; minimis celebrandis, vt ne quid minimum prætermittatur à quo vel leuissima ægro noxa succedere possit. Quare expediet eousq; in morbis sanguinem demere, quoad mode-

rate eductum esse videamus. Arabici mandati semper memores dicētis, meliorem esse, ac tutiorem multiplicationem numeri, multiplicatione quantitatis; Illud præ oculis perpetuò habentes, diuersam esse debere sanguinis mensuram, quæ à puero paruo triennium, quadriēnium, quinquennium agente, ab ea, quæ à magis adulto, ab adolæscente, & à sene in primo vel 2. senio constituto, & ab ea, q̄ in vltimo senio celebratur. Atq; tandem Hippocraticam Galenicamq; phlebotomiam ab ea, quæ à nostri temporis Medicis exerceri solet multum differre: Quam quidem cum ad animi vsq; deliquium sępenumerò, atq; vt plurimum præciperent, non mirum si pueris antè decimūquartum annum omninò interdixerint; citrà controuersiam, eandem trimis, & quadrimis, & alijs antè 14. annum admittere liceat, pauca tamen quantitate, ijs omnibus ad trutinam perpensis, quæ ad remedij genus, qualitatem, quantitatemq; eiusdem cōmensurandam necessaria esse secundum Galeni, & aliorum Medicorum placita longa oratione ostendimus. Valeant igitur Tōsores, & Chyrurgi quidam, qui cum se Medicos profiteantur, famam nouitate

aliqua

aliqua aucupantes, ea aggrediuntur, quæ non norunt, & ea pertractant, quæ nunquàm didicerunt citrà alicuius scopi animaduersionem, cum Gal. ipse 9. methodi 4. expressè hanc prẹferat sententiam. Neque enim satisfaciunt ad exactam cognitionem vniuersales methodi. Sunt autem exemplorũ, ac pro potioribus habenda, quæ ipsi oculis vsurpauimus, quandò, si omnes, qui docere scribereùe aliquid sunt aggressi, ea prius operibus ostendissent, prorsùs paucula quędã falsò dicerẽtur. Nũc verò plerique alios docere tentant, quæ nec ipsi vnquã fecerunt, nec alijs ostenderunt. Saguinem vel non mittentes, alioqui mittendum, vel parcè id exequuntur, aut mediocritatis limites transilientes sine consideratione tàm copiosè sanguinem hauriunt, vt ægros pęnè cõficiant, vt annis superioribus factum fuisse vidimus in Ioannoto Pellucia Fossanensi quinquagesimũ quintum annum agente, qui cùm malè haberet ad quendam accessit, morbi historiam detegens, itinere, & febris, ac solis calore deffessus (è rure enim venerat, eò rediturus) quem cùm ille audiuisset, nullo interposito tempore gladiolo extracto, sedente, tantam sanguinis

copiam

copiam detraxit, vt in lyppotimiam inciderit. Domum autem (Rus inquam) reuersus in sæuissima incidit symptomata; ad quem ipse vocatus debita adhibui remedia, & Deo fauente, intra 24. diem pristinam recepit sanitatem. Et hæc de phlobotomia dicta sufficiant.

De medicinis verò purgantibus, quid deliberandum ex variorum probatissimorum autorum lectione conijciam, iam explicabo. Videtur enim medicamenta purgatoria sectioni venæ non esse substituenda, nec esse propinanda, maximè vbi sectio venæ est conueniens, & præsertim multò minus pueris antè 14. annum, & antè septimum, ob infrascriptas (præter iam enarratas) rationes, quòd scilicet potiones omnes medicamentosæ purgantes, licet leues sint, vbi maiorem quam par est in ventriculo morã contrahunt, non minimam illi noxam inferũt, Tùm, quòd ad eas propetandum non sit, nisi summa vrgente necessitate, vt optimè obseruat vniuersa Medicorum schola, tùm etiam quoniam cuncta ferè medicamenta soluentia, noxia, & deleteria facultate sunt prædita Gal. test. lib. quos, & quando purg. op. in fine. Insuper cum quęcunq; purgant latentem in se

caloris excitandi vim, ac potestatem obtineat, ad febrem mouendi, ex Gal. loco cit. nec febris vt febris calida, & sicca expetat; sed his contraria requirat; cautè admodum agendum in medicamentorum purgantium exhibitione, pueris præsertim, ac infantibus, nè sinistra purgatio succedat, ob damna, quæ ob eius retentione, & frustrata operatione sequi consueuerunt. Ad hæc cum Hippocrates in febribus ardentibus insigni purgatione non vtatur, sed pro ea vtatur clysteribus, & facili alui subductione, iuxta ea, quæ ipsemet in libi. de expurgantibus medicamentis ità scripsit: Quicunq; enim à febribus fortibus corripiuntur, his medicamenta purgatoria dare non oportet, donec remisserit febris, sin minus intrà saltem quatuordecim dies: carnes enim eorum, & ventres cùm calidi sint, medicamentum assumunt, & nil depurgantur, & febris maior fit: Et rursum. Quapropter in febribus vehementibus, medicamenta exhibere non oportet, verùm si alicui opus fuerit, infusum per clysterem exhibere potes quotiescunq; volueris, hoc enim minoris periculi est. Ex quibus verbis clarissimè monstratur medicamentis, purgantibus

Hippocratem non vti in febribus vehementibus, nec tamen abstinere ab aluum subducentibus, quam tamen intentionem clysteribus tutius complendam existimauit, quam verè purgantibus Pharmacis, propter ea quæ iam diximus imminentia pericula, à quibus facillimè vires collabuntur, puerorum præcipuè. Si præterea accuratè ea considerabuntur symptomata huiusmodi purgantia insequentia, videlicet vertiginem, ventris dolorem, eiusdem morsum, aut à flatu exitum non habente, aut à purgatione pro voto non cedente, & alia à Galeno descripta 4. aph. 11 & 2. aph. 27 à quibus celerrimæ exolutiones consequuntur, animiq; deliquia incidere solent, cautè admodùm ad ea propinanda procedemus, ea potissimum de causa, quam Gal. adducit 6. aph. 47. quoniam pharmacum purgans, carnes, sanguinem, spiritus (in quibus nostri corporis vires potissimum consistunt) exhaurit, ac dissipat, non offendens enim eum, quem attrahere debet humorem, & quo cum familiaritatem seu similitudinem à principio fuit nactum. Atq; tandem si Gal. Antidota putà Theriacam pueris minimis suspectam reddit, imò eius vsum illis

omninò interdixit lib. de Theriac. ad pis. cap. 17. (licet Medicus quidam superioribus annis infantulo satis notabilem eius quantitatem exhibendam præscripserit, quod tamen pharmacopæi viri exercitatissimi prudentia vetitum fuit; excusandusq; sit Medicus, qui nouus miles ad artem exercendam accessisset) multò certè magis medicamenta purgatoria fugienda erunt, cum omnia determinatum humorem trahendi substantiæ similitudine vim obtineant. Ad hæc cum notissimum sit Galeno medicamenta purgantia, vbi suum nõ explent munus, in humoris vacuandi naturam conuerti, cui in dubium veniet, auctos humore naturæ omninò aduerso, maiorem viribus noxam inferri debere, & vires magis debilitari, nõ modo humoris exuperantia grauantis causa, sed & maligna qualitate perniciem inferentis?

Vlterius in ea differentia in qua disseritur, an existente plenitudine cui competit phlebotomia, & humorum corruptione, cui expurgatio est conueniens, licet plerique disputent doctissimi, tamen præstantiss. Medici, & in re medica maximè exercitati, phlebotomiam purgationi om-

quia mali humoris quantitatis, vel qualitatis ratio medicanti cum exactionem superat.

ni, omninò præferendam deliberarunt, quòd ampliores corporis inanitates efficiãt, & magis capaces humorum regiones; per quas postea medicamenti vis incedens, peccantes succos facilius attrahere valet. Quibus subscribit Auic. 4. prim. cap. 4. dicens. Si minutio fuerit necessaria sanguinis, & ventris solutio, cum elleboro, aut alio violento medicamento: à minutione est incipiendum. Quam sententiam à Galeno mutuasse credendum est, cùm lib. de ren. affect. cap. 4. tùm 6. Epidem. commentario primo tex. 6. circa finem sic loquente. Si vtroq; auxilio fuerit opus, à sanguinis missione est auspicandum. Quod quidem non alia de causa fuisse decretum existimandum esto, quàm quòd maiores multò requirantur vires ad toleranda medicamenta, quàm ad sustinendam sanguinis missionem, à qua minus damnum recipiunt vires, quam ab expurgatione, à qua quidem tametsi fortassis non tanta fiat spirituum resolutio velut in sanguinis missione, ob tamen alia permulta consequentia symptomata, magis vires prosternuntur à medicamẽtorum purgantium sumptione, quam à phlebotomia. Et quod hoc sit verum, Trallianum testem

quia phlebotomia magis perspirabile reddit corpus.

testem produco, qui libro 11. cap. de podagra sic loquitur. Si verò non solùm pituitosus succus molestet, verum cum ipso conspiciatur sanguineus redundare humor, vtrunq; facere oportet, verumtamen sanguinis missionem prius, subindè vires resumentes, ad purgationem veniendum est, quæ crassum humorem trahere valet, cuius causam cap. 4. de lap. renũ prodidit dicens. Porrò laxitate quadam inducta, & meatibus rarefactis, adhuc magis oblata remedia proprium opus exercebunt. Si ergò vires resumendas esse præcipit, antè medicamenti oblationem, non autem antè sanguinis detractionem; clarissimum omnibus euâdit fortiores, ac robustiores exquirere vires medicamenta sumpturos, quam sanguinis missionem passuros, & per consequens omnes facultates magis deijci à purgatorio pharmaco; quàm à venæ apertione, Et licet veluti paradoxum sit semper aluum antè phlebotomiam esse molliendam medicamento, aut clystere; intelligendum id erit in his casibus, in quibus nullum impendet vitæ periculum, cũ id adeo ineuitabile præceptum esse non debeat, vt si aliundè mortis periculum instet, præmitti sanguinis

guinis missio non debeat, antequàm fluens materia corpus alicubi affligat: quod Cælsus Medicorum eloquentissimus aduertens, hac de re ità scriptum reliquit. Vt minimè est crudo sanguis mittendus, ità neq; id est perpetuò non enim res semper expectat coctionem, ceu si quis cecidit ab alto, aut vehementer est contusus, aut strangulatus, protinùs demenda est materia, antequàm fluens materia corpus affligat. At si morbi ratio id patitur, nulla crudidatis suspicione manente id fiat. Quod certè idem aptissimè docuit, inquiens. Nihil esse tam inuiolabile præceptum apud medicinę studiosos, quod vrgenti necessitati non cedat. Sed si prædictis argumentis quis acquiescere nequeat; à medicamento vires magis deijci, quã à phlebotomia: A rei natura id demonstremus, & ab ipsius expurgationis diffinitione palam faciamus. Expurgans ergo medicamentum non alia ratione per Antonomasiam hoc nomen sibi vendicauit, nisi quòd, tametsi alia quidem medicamenta humores detergant, alia mundent, nonnulla vias aperiant, aliaq; huiusmodi munia præstent, nullum tamen aliud per vomitum, aut per alium subducit.

+Ex Hip. n. hum. 3°. aph. 2°. Inspiciendu esse regionem: tempus: ætatem: et morbum.

quos

quos familiaritate quadã pellexit succos; sicuti id, quod propriè purgatorium appellatur pharmacum, quoniam quæ ab ipso procedit actio, seu operatio, expurgatio nominatur. Quo sensu intelligendus est Hippocrates primo aph. 22. cum dixit: Concocta medicari, seu expurgare oportet, non cruda mouere. Quæ quidem purgatio ea esse dicitur 2. aph. 17. qua humores qualitate molæsti vacuantur, & quæ non indifferenter quamlibet humorem euacuat, sed certum quendam, pluresue, selectè tamen trahit, vt i lib. de purgantibus medicamentis scriptum videtur. Licet enim amaricantia medicamenta omnia, quæ sordescunt detergant, & præter hæc Mel, farina hordei, & furfures, atq; alia multa detersoriam adepta sint facultatem, hoc tamen nomine non donantur per excellentiam, nec quatenus superflui humoris tractrice facultate similis, & familiaris donata sunt, sed manifestarum qualitatum ratione hoc adepta fuere: Sic & phlebotomia sanguineum euacuat humorem, tum etiã alium quencunq; per sectam venam exire aptũ Sed quia non certum eligit, sed indifferenter omnes elicit, ab expurgationis classe meritò

venit

venit explodenda. Quæ enim medicamenta hoc opus exercent, cathartica seu purgantia nuncupantur; per suæ operationis excessum seu præstantiam, quam cuiusdam similitudinis ratione operari dicuntur, vt constat ex Gal. 5. simpl. 24. & 5. cap. 20. & cap. 25. vbi manifestè ait, medicamenta purgantia his, qui trahuntur humoribus familiaria esse, & proprietate quadam humores seligere, ac educere. Sed dicet aliquis quorsum hæc? aut quid ad rem nostram facit tam longa de medicamentorum expurgantium natura disceptatio? & quid cōfert noscere, an similitudine, an dissimilitudine succos trahant? vt probes à medicamentis purgantibus vires magis lædi, quam à phlebotomia? Hac inquam ratione à me adducta fuere, vt demonstrem infidam, incertam, & maximè dubiam esse talium medicamētorum exhibitionem, & eo magis pueris, multoq; magis infantibus fore interdicendam. Quod sic probo. Ea omnia medicamenta fugienda sunt, quorum finis dubius, & anceps existit. At medicamentorum purgantium finis talis esto; Ergo omnino fugiendus eorum vsus. Maior clarissima est, minorem probamus per Galenum

6. de simp. med. fac. cap. de Abrotano, qui ita scriptum reliquit. De his facultatibus agimus, quæ calfaciendo, refrigerando, humectando, siccando, & qualitatibus alijs, quæ has sequuntur, sua munera explent, nam de his certa methodus rationalis tradi potest. Quæcunque autem proprietate totius substantiæ complentur, sola experientia innotescunt. Cùm igitur talia medicamenta sola experientia dignoscátur, quæ maximè periculosa est, Hipp. teste primo aph. in his præcipuè quorum natura Medico est ignota, putà puerorum, ac infantium magis, ne horum exhibitione, ac vehementiore eorum motu, ipsorum corpuscula agitentur habitus tenuis, ac spiritus dissoluantur, atq; vires alioqui imbecillæ omninò deijciantur, & præsertim eorum medicamentorum vsu quæ nonnulli, aut in pilularum formam, quas ipsi domi conficiunt, miserisq; ægris deuorandas offerunt quotidie, alteram antè cœnam ad roborandum ventriculum (vt ipsi prædicant) & aloeticas vocant, alteram verò post cœnam ad cerebrum expurgandum, cùm tamen non vereantur, Aloe, Coloquintidam, euphorbium, nitrum, scammonium, hydrargyrum,

aut eleborum (desperatorum vnicum remedium à doctiss. viris vocatum) quandoq; impudenter immiscere. Sed quid de his dicemus, qui Gelatinas dictas, tabulas, opiatas, extractaue, aut polines non modo ex dictis, sed & stibij substantia, faligineq; & alijs diabolicis medicinis constantes, in marsupijs, saculisue, impostorum more circumferre non verentur? Quod quam ad rem, & qua methodo tentare id audeant; Dijudicent medicinæ proceres, & grauissimi Archiatri, quemadmodum, & qua lege alijs liceat genubus graui dolore vexatis cucurbitulas statim admouere, & Hidropicorum cruribus copiosissimo humore distentis antè vniuersalem purgationem easdem cùm profunda scarificatione applicare, & innumera alia errata impunè committere, cùm tamen ea nullo pacto sinè mulcta permitti debeant, tanquam diuinis, humanis, politicis, medicisq; legibus omninò aduersa.

Sed quoniam, vt antè in calce fermè prioris quæstionis enarrauimus, de his non ità strictè disserùimus, vt nunquàm venæ sectioni purgatio substitui debeat, cùm de mente Cornel. Cælsi didicerimus nullum tàm inuiolabile præceptũ

esse,

esse, apud medicinæ studiosos, quod vrgenti non cedat necessitati, ideo quæ medicamenta in tales vsus aptari possint, vt quæ vires magis deijciant, & quæ minus dignoscantur, facilè constare possit, enarrare non pigebit: Quod vt facilius assequamur, sciendum est. Medicamentorum, aliæ potentia, perniciosa, & deleteria facultate prædita esse maximè calida corporisq; nostri habitum dissoluentia, qualia sunt colocynthis, scamonium, titimalorum omnes species, mezereon, euphorbium, dondrohides, holioscopius, radix cucurbitæ syluestris, & gratiola, & alia eiusmodi substantia, & viribus ita naturæ nostræ aduersantia; vt innocuè nunquam sese offerant, & eo magis si quis maiorem quam par sit vtatur dosi; Hæc enim cum apta nota sint semper officere, nullo pacto sanguinis missioni substituenda erunt, q eorum deleteria vi corpora nostra corrumpant, spiritus omnes resoluant, carnes colliquent, & humores, ac demum virium omnium summã, quandoq; irreparabilem inferant imbecillitatem, vt contigit D. Baptistæ Rubeo Sauilianensi affini meo, qui cum inter prandendum Balborum piscium oua imprudens comedisset,

tanta sequuta fuit per aluum, vomitumq́; humorum expurgatio, vt interitum ferè pateretur, & cum satis carnosus iuuenis esset, in eam inde deuenit maciem, vt nunquam amplius impinguari potuerit, sed ad mortem vsq́; excarnis, & maximè gracilis vixerit perpetuo stomachi dolore grauiter cruciatus. Quod quoq́; idem mihi euenisset, nisi optimo temperamēto præditus fuissem, cum etenim infinitos labores, insomnes noctes, aerisq́; immoderatas humiditates, & cœli inclementes alterationes me subire necesse foret ob innumeros ægrotantes Carmagnoliæ decumbentes anno 1585. (quorum valetudini publico ære conductus præeram) incidi pedum imbecillitatem, vt omnino motus progressiuus mihi interdictus fuerit aliquot mensium spacio nihil omninò iuuātibus purgationibus assiduis, fortè fortuna me insciò ingestis prædictis ouis atq́; indè ad horas 5. cùm suprà, tùm infrà deposita omnium humorum farragine ac pessima suburra, ità liber euasi vt præter omnium medicorum opinionem nunquàm amplius ad hunc vsquè diem quicquam perpessus fuerim, imò sequenti à purgationis præscriptæ die omnium summa admi

ratione

ratione publicè magnam pilam agitauerim. Nonnulla autem medicamenta etiam si dissolutiua quoquo modo sua natura sint, & à tota substantia, ac similitudine noxios è corporis meditulio humores determinatos, & sibi familiares attrahant, sicut Aloe, Rabarbarum, Agaricus, & alia eiusdem generis, & dissoluentia dicantur, quoniam tamen venefica qualitate sunt denudata, si aliquo cardiaco (si quæ in eis noxa reperitur) attemperentur medicamento spiritus vitales roborante, in Medicum vsum admitti poterunt. Sed cum multa alia pharmaca reperiantur his longè viribus debiliora, nostrisq; genijs maximè accommodata, & humanæ naturæ non admodum refragantia vt Mirobalani omnes, Tamarindi, Cassia, Mãna, Pruna, Psilij Mucago, Sena, eiusq; folliculi, serum lactis, Succus rosarum, & earum infusio aliaq; perplurima eiusdem classis, sine aliquo nocumento, aut mordicatione, quinimo maxima leuitate, & placiditate humores educentia: His profectò inficias non iero non modo simplicibus, sed commistis (sicut pharmacopæa miro ingenio parare consueuit) cùm pueris, ac senibus, tùm prægnantibus innoxiè Medicum

dicum vti posse. Hæc enim secundæ, & tertiæ classis medicamenta, etiam si in sese insuauitatem obtineant, minorem tamen possident ijs, quibus vulgò, ac familiariter ad aluum soluendam antiqui vti solebant, nec ita educunt, nec tam vehementer putrefactos humores radicitus extrahere valent, nec vires vsq; adeo imbecilles reddere, quæ tamen, cum sæpenumero etiam à leuibus medicamentis deijciantur, ac sæua ab ipsis prodeant symptomata, operæ precium duxi, & id etiam inuestigare diligenter, & ob oculos ponere. Quod quidem non aliũde prouenire constat, nisi à medicamenti assumpti (licet debilis) frustrata operatione, qđ trifariam contingere potest, aut ratione corporis medicamentum assumentis ineptitudinis, medicamentiue qualitatis, aut symptomatum superuenientium. Si enim corpus malè sit dispositum, ita vt viæ sint angustæ, obstructiones ex fœcum duritiæ multæ, cum humorum crassitie, visciditate, multisq; flatibus, qui (vbi exagitantur) pharmacum ingestum subleuant, & extollunt, vel materiam educendam in anfractibus infarciunt (debilitata expultrice) vel alteratrice exactè non alterante, perfecteq; me-

dicamen-

dicamentum haud immutante suo fungi munere medicina non potest. At si Medici intentum frustretur, quod medicamentum eam in se contineat venenositatem, vt à naturali calore euinci nequeat, vel quod minore quam par sit dosi præscriptum fuerit, vel quòd plus æquo humorum exagitationem promoueat, non mirum si obstructiones gignuntur, flaccida reddita virtute, vel ob minorem quam oportet medicamenti quantitatem propinatam, vel quòd alicui antidoto vires fulcienti iunctum non fuerit. Est quandoq; quod medicamentum in operatione deficit, non quidem corporis dispositionis, aut medicamenti qualitatis, sed symptomatum ratione, propter inquam inordinatam occurrentium rerũ administrationem in vna pluribusue ex sex rebus non naturalibus. Cœterùm si medicamenta etiam valida sæpenumero imperfectè in corporibus operantur; vt quotidiana testatur experiẽtia, aut quod nulla inter corporis dispositionem, & medicamentum intercedat idonea proportio, cum vni videamus contingere, alteri non. Si secundò id sequitur, quòd corpus medicamento soluenti non exactè respõdeat,

siue

ſiue ſui, ſiue humoris educendi cauſa. Si tandem ſumpta medicina ſufficienter tempore congruo noxium humorem euacuare non valet, corpore plus æquo eius viribus reſiſtente, quòd peccantem materiam radicitus trahere non poteſt, niſi maximam membris vim inferat, eorumq; retentricem magnopere lædat,& præſertim ob varias ac multiplices hominum naturas,ob quas varij,ac propemodum diuerſi in corporibus viſuntur effectus; cum liquidò conſtet in medicamentorum propinatione, quædam naturæ corporis ea ſumpturi,& à quo inutiles humores ſunt deponendi, ita familiaria, vt vel minima quantitate exhibita proſperè tamen ac feliciter ſecundum Medici intentionem operentur, quædam ſuperflue ac immoderate Aluum moueant, alia autem etiam largiore doſi ingeſta, nihil omnino, aut admodum minimum humoris educere; ſecundum maiorem,minoremue corporis purgandi aptitudinem, magis aut minus medicamenti operationi reſiſtentem. Hinc fit, quod licet phlebotomia (vt ſupra dictum eſt, cum de ea verba faceremus) magis vires deijcere videatur, rei tamen annexæ occaſione, à medicamento

purga

purgatorio cœteris paribus magis debilitari suprascriptis rationibus est manifestum,& per consequens,nunquam vbi phlebotomia necessaria est, eius loco pharmacia erit substituenda eorum præcipuè medicamentorum vsu, quæ cathartica,& aliqua deleteria facultate prædita esse cognoscimus. Quod si de medicamentis aliarum classium enumeratarum quispiam forte intelligendum sentiat, quòd hæc tutò phlebotomiæ vicem gerere sine controuersia possint, hoc certè à medicamenti qualitate sumpta indicatione, licet forsitan admitti debeat, ob eam attamen paulò ante descriptam purgandorum maximam varietatem, ac differentiam, atq; eorundem cum pharmacorum qualitate sympathiam, & antipathiam, quam intercedere nemo non nouit, satius esse multò ab ea abstinendum, quam ea pro venæ sectione vtendum iudicauerim, nisi forsitan ægri natura ita Medico peritissimo, & in artis operibus versatissimo ad vnguem cognita foret, vt omnino secus operandum exactissimo suo iudicio consuleret. Atq; hæc est mea circa prædictas quæstiones sententia, quæ si grauissimorum virorum opinioni quadrabit, gratissimú

fuerit

fuerit, sin minus eorum iudicium subire non aspernabor, quos neq; ignoratio, neq; liuor, aut vtrumque corrupit. Cæterum id me saltem consequutum fuisse existimauero, si me de medicina benemeritum, & erga omnes medicinæ studiosos beneuolum demonstrauero. Et sic Huic tractatui finem imposui vltima die Octobris anni 1603. ad laudem, & Gloriam Sanctiss. Trinitatis, Beatissimæq; Virginis Mariæ, necnon, & Beatiss. S. Iuuenalis Protectoris nostri, quorum auxilium semperq; apud Dominum pro me supplices preces humiliter implorabo.

FINIS.

INDEX

INDEX OMNIVM NOTABILIVM HOC VOLVMINE CONTENTORVM.

A. significat primam faciam. b. secundam.

A

Anti-

Anti-

B

C

oua-

D

Erma-

E

F

G

H

Hepa-

L

M

Medi-

ie*ctu-*

 b.

Medi-

Metho-

Medi-

N

& par-

Pisium Balbonum ... quid Baptista Rubeo, ac Authori præstiterint. 54. a. b.

Pur-

mum

Phlebo-

Q

Rarus

San-

Seni-

Sextum

T

V

Vacua-

Z

ER-

ERRATA SIC CORRIGITO.

In Epist. dedicatoria.	Facie 1. vocatas. lege vocatus.		
	Facie 2. Medicum lege Medicinā.		
	Fac.ead. sanguinięq; lege sanguinisq́.		
In Epistola ad Episc. Salucien sem.	Facie 1. lin. 7. merito lege meritò.		
In Epistola 4 ad Bianzallum.	Facie 1. lin. 3. erute lege erutæ.		
In 1. Epigrammate	Versiculo 2. multe lege multæ.		
In 2 Epigramm.	Versic.	1. pa rūcq́	leg. paruūq́;
In 3. Epigr.	Vers.	1. Medicum	lege Medicum,
In Epigr. 5.	Versic.	7. suos	lege succos.
Pag. 1. b.	linea	22. animi	lege animis.
9. a.	l.	11. vt	lege &
&	l.	18 fretum	lege foetum.
12. b.	l.	14. 12.	lege 21.
12. b.	l.	22. lartum	lege latum,
15. a.	l.	7 pollicitur'	le. pollicitus
Ibidem b.	l.	eadem ef	lege ex.
16. a.	l.	21. hominu	le. hominéq;
17. a.	l.	20. certo	lege certè.
ibidē b.	l.	8. variole	lege variolæ.
19. b.	l.	22 detractionē	le detractione
21. a.	l.	vltim 1 raone	lege ratione.
21 b.	l.	12. nostre	lege nostræ.
26. a.	l.	10 germis	lege genus.
29. a.	l.	prima & quiquam	leg & ne quicq̃
ibidem	l.	12. phlobotomiæ	le. phlebotomiæ
35. b.	l.	21. dictis sufficiant, adde, & de antiquorum phlebotomia.	
44. a.	l.	13. solubriores	leg. salubriores.
42. b.	l.	19 Anicenam	leg Ad Auicenam
52 b.	l.	16. aducta	leg. adducta.
54. b.	l.	13 1583.	leg 1582
ibidem.	l.	15. incidi pedum.	incidi in pedū,

Decre-

AD
BENIGNISS. LECTORES.

DECREVERAM integram Medicarum quęstionum decadem prælo mandare, sed ne diutius erroneam quandam sententiam circa puerorum curationem tractandam (maximo eorum damno) serpere permitterem: Quò Medicorum certissima dogmata, & à quibuscunq; in arte peritis imitanda, & inuiolabiliter obseruanda in studiosorum gratiam quamprimum manifestarem, votum hoc meum assequi non potui. Quare has duas solum expromere volui breui; Deo auspice reliquas in lucem daturus. Interim Bianzalli vestris votis paratissimi labores æqui boniq; consulite, & lubenter perlegite.

AVTO-

AVTORES, QVORVM AVTORITATE

Autor. fulcitur. Præter alios innumeros prætermissos.

Aulus Gellius.
Auicenas.
Amatus Lusitanus.
Albertus Bottonus.
Cœlius Rodiginus.
Cornelius Cœlsus.
Christophorus Auega.

Ferdinandus Mena.
Franciscus Valleriola.
Franciscus Vallesius.

Galenus.

Hippocrates.
Horatius Augenius.
Hieronym' Mercurialis.
Io. Fernellius
Io. Baptista Montanus.
Iuuenalis Ancina.

Ioffredus Gambarana.
Ioannes Heurnius.
Ludouicus Mercatus.

Nicolaus Massa.

Oribasius.
Octauianus Roboretus.

Paulus Ægineta.

Victorius Trincauellus.

Zoar.

F I N I S.

REGISTRVM.

† †† ††† ABCDEFGHIKLMN OPQRST.

Omnes sunt duerniones.

Frater Alexander Longus Inquisitor Montis Regalis, Concedit quòd imprimatur,

---

IN MONTEREGALI.

Apud Henrictum Rubeum. 1604.